

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Christus contra Scribas probat Sabbato licere discipulis suis vellere spicas, et sibi licere curare agros. Secundo, vers. 23, sanat demoniacum, probatque se id non facere ope Beelzebub, sed in digite Dei: quare Scribas id Beelzebub tribuentes, committere blasphemiam in Spiritum Sanctum, ideoque irremissibilem. Tertio, vers. 39, petentibus signum, dat signum Jona, quodque Ninivite et regina Saba Judaeos sibi incredulos condemnabunt in die judicii. Quarto, vers. 46, suos fratres et matris asserit esse eos qui faciunt voluntatem Patris sui.

1. In illo tempore abiit Jesus per sata Sabbato; discipuli autem ejus esurientes, ceperunt vellere spicas, et manducare. 2. Pharisei autem videntes, dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere Sabbatis. 3. At ille dixit eis: Non legis quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant: 4. quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? 5. Aut non legis in lege, quia Sabbatis sacerdotes in templo Sabbatum violant, et sine crimine sunt? 6. Dico autem vobis, quia templo major est hic. 7. Si autem sciretis quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. 8. Dominus enim est Filius hominis etiam Sabbati. 9. Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum: 10. et ecce homo manum habens aridam; et interrogavit eum, dicentes: Si licet Sabbatis curare? ut accusarent eum. 11. Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam; et si ceciderit hæc Sabbatis in foveam, nonne tenebit et levabit eam? 12. Quanto magis melior est homo ove! Itaque licet Sabbatis benefacere. 13. Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est sanitati sicut altera. 14. Exeuntes autem Pharisei, consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum. 15. Jesus autem sciens, recessit inde, et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes. 16. Et præcepit eis, ne manifestum eum facerent. 17. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: 18. Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam Spiritum meum super eum, et judicium gentibus nuntiabit. 19. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus; 20. arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium: 21. et in nomine ejus Gentes sperabunt. 22. Tunc oblatus est ei demonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur et videret. 23. Et stupebant omnes turbæ, et dicebant: Numquid hic est filius David? 24. Pharisei autem audientes, dixerunt: Hic non eiecit demones, nisi in Beelzebub principe demoniorum. 25. Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum divisum contra se, desolabitur; et omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit. 26. Et si Satanas Satanam eiecit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus? 27. Et si ego in Beelzebub eicio demones, filii vestri in quo ejiunt? ideo ipsi iudices vestri erunt. 28. Si autem ego in Spiritu Dei eicio demones, igitur pervenit in vos regnum Dei. 29. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? et tunc domum illius diripiet. 30. Qui non est mecum, contra me est; et qui non congregat mecum, spargit. 31. Ideo dico vobis: Omne peccatum et blasphemiam remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemiam non remittetur. 32. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non

remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. 33. Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur. 34. Progenies viperarum, quomodo poteritis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. 35. Bonus homo de bono thesauro profert bona; et malus homo de malo thesauro profert mala. 36. Dico autem vobis, quoniam omne verum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. 37. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. 38. Tunc responderunt ei quidam de Scribis et Phariseis, dicentes: Magister, volumus a te signum videre. 39. Qui respondens, ait illis: Generatio mala et adultera signum querit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ: 40. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus. 41. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam; quia penitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic. 42. Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam; quia venit a finibus terre audire sapientiam Salomonis. Et ecce plus quam Salomon hic. 43. Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quaerens requiem, et non invenit. 44. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi, et veniens, invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam. 45. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi: et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit et generationi huic pessimæ. 46. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris, quaerentes loqui ei. 47. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quaerentes te. 48. At ipse respondens dicens sibi, ait: Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? 49. Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, et fratres mei. 50. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.

1. IN ILLO TEMPORE ABIIT JESUS PER SATAM (per agros albescentes vel maturas) SABBATO; DISCIPULI AUTEM EJUS ESURIENTES, CEPERUNT VELLERE SPICAS, ET MANDUCARE. — Addit Lucas, VI, 1, hoc Sabbatum fuisse secundo primum, quod quale fuerit ibidem dicam. Est rursus hic histerologia: Iose enim confisisse videtur ante missionem Apostolorum, de qua X, 1 et sequent, atque ideo ante sermonem Domini in monte, de quo V, 1, ut colligitur ex Marco, II, 22. et Luca, VI, 1. « Quod autem spicas segetum, manibus confricant, et in medianis consolantur, ait S. Hieronymus, vite anterioris indicium est, non preparatas epulas, sed cibos simplices quaerentium. »

2. PHARISEI AUTEM VIDENTES, DIXERUNT EI: ECCE DISCIPULI TUI FACIUNT QUOD NON LICET FACERE SABBATIS. — Lucas, cap. VII, 2, habet « dixerunt illis, » scilicet discipulis Christi, quia nimirum primum discipulis, deinde Christo hoc objectarunt.

Nota: non carpunt discipulos quod spicas vel uvas vellant; hoc enim lege permissum erat, Deuter. XXV, 23, sed quod id faciunt die festo, scilicet Sabbato. Vellere enim spicas videtur opus servile, ideoque violans quietem et sanctitatem Sabbati, cujus præ aliis festis apud Judæos summa erat observantia et religio.

Allegorice: S. Hilarius, Ambrosius et Beda hoc

facto significatum putant, quod Apostoli in Sabbato secundo primo, id est Evangelico, et semine et segete prædicationis collecturi erant grana, id est fideles ex omnibus Gentibus electos, quorum fide et pietate et profectu se pascerent, donec eos secum conderent in horreo caelesti; sed Pharisei et Judæi videntes Gentes sibi in Evangelio præponi, eis invidentes, frusta Apostolis obstrepunt et obmurmurant.

Tropologicè Beda: « Per sata, ait, ambulat Tropol. cum Domino, qui eloquia sacra meditari delectantur. Esuriunt, cum in eis panem vite invente desiderant; et hoc in Sabbatis, cum sopita mente a turbulentis cogitationibus vacare gaudent. Vellunt spicas, et contritas purgant, donec ad escam perveniant, cum testimonia Scripturarum, ad que legentes perveniunt, meditando assumunt, et tandem discutunt, donec in eis medullam dictionis inveniant. Verum hæc mentium refectio stultis displicet, sed a Domino approbatur. » Hinc S. Augustinus, lib. I De Genesi ad litteram, cap. XX, arguit eos qui S. Scripturæ floribus inhiant, sed segetem ejus meditando non confricant, donec ad virtutis escam perveniant.

3. AT ILLE DIXIT IIS: NON LEGISTIS QUID FECERIT DAVID, QUANDO ESURUIT, ET QUI CUM EO ERANT? — Vers. 3. Luc. VI, 3; Mar. Videtur hoc ultimum repugnare I Reg. XXI, 13, ubi

dicitur. « vidit russe solus. Resp. David fugiens Saullem solus abiit ad Achimelech quem Marcus vocat Abiathar Pontificem, ab eoque petit et accepit panes, sed eos debuit ad socios fugae, quos alibi expectantes reliquerat, ut patet tum ex hoc loco, tum ex I Reg. XXI, 2, ubi David ait Pontifici: « Pueris (familiam meis) condixi in illum et illum locum. » Ita S. Hieronymus.

4. QUOMODO INTRAVIT IN DOMUM DEI (in atrium tabernaculi; nec enim laicis, qualis erat David, sed solis sacerdotibus licet ingredi Sanctum, et soli Pontifici Sanctum Sanctorum, idque semel duntaxat in anno) ET PANES PROPOSITIONIS CONEDIT, QUOS NON LICERAT AI EDERE, NEQUE HIS QUI CUM EO ERANT, NISI SOLIS SACERDOTIBUS.

Panes propositionis quibusdam, et ad quid?

PANES PROPOSITIONIS — vocantur panes propositi semper in Sancto ante arcam et Sanctum Sanctorum, quod erat quasi thronus Dei residentis super propitiarium, nec est, panes propositi ante faciem Dei. Unde Septuaginta vocant *ἀγρως ἐπιτοίαις*, id est panes faciales; Syrus, *panem mensae Domini*. Hebraice vocant *לחם פנים* *lachme panim*, id est panes facierum. Erant enim duodecim, seni in una parte mensae, seni in altera, sicut duae sunt genae in facie. Hisce duodecim panibus protestabantur duodecim tribus Israel se a Deo continue pasci alique. Unde thus eis imponebant, ut patet *Levit. XXIV*. Thus enim symbolum erat eos Domini esse, et Domino esse oblatos. Vicissim Deus hac gratitudine oblationis duodecim panum se duodecim tribuum meminisse, easque ante faciem et oculos semper habere ostendebat. Vide dicta *Exod. XXV, 30*. Jusserat Deus panes hoc sacros innovari quolibet Sabbato; tunc enim recentes ponebantur in mensa, et veteres auferebantur ac comedebantur a solis sacerdotibus, idque in tabernaculo duntaxat, ut patet *Levit. XXIV, 8* et *9*. Vis argumenti est haec: David, vir secundum cor Dei, in necessitate famis usurpavit et comedit panes propositionis sanctos, quos alias laicis edere non licebat, sed solis sacerdotibus, quia prudenter iudicavit legem positivam de non comedendis his panibus a laicis, cedere debere legi, iurique naturae, quod dicitur in gravi necessitate famis conservandum esse vitam comedo quoslibet panes et cibos etiam Deo consecratos; ideoque S. Paulinus, S. Laurentius et alii, calices et vasa Deo consecrata vendiderunt, ut per eorum pretium succurrerent gravi necessitati famique pauperum. Ergo pariter, imo multo magis licet mihi meisque discipulis vellere spicas in Sabbato, ut eliciti inde granis fami nostrae succurramus; sanctitas enim Sabbati prohibens opus servile, uti est vellere spicas, est iuris divini positivi, quod edere debet juri naturae dictanti, in fame vitae esse consulendum quolibet cibo etiam sacro. Est haec prima ratio. Sequitur secunda.

5. AUT NON LEGISTIS IN LEGE, QUIA SABBATIS SACERDOTES IN TEMPO SABBATUM VIOLANT, ET SINE CRIMINE SUNT? — Arabice *سنة* *se* non est eis peccatum. « Violant; » Syrus, *profanant*, victimas jugulando, excoerando, dissecando, lavando, componendo ligna, accendendo ignem, quo victimas in honorem Dei comburantur, quae opera in se nude spectata servilia sunt, et violant Sabbatum, ut pietas et sanctitas excuset, ac ex servilibus et profanis sacra et divina efficiat, ut in hoc casu fit. Sensus est, *q. d.* Uti Davidem necessitas, et sacerdotis pietas, ita utrumque discipulos meos excusata violatione Sabbati, per hanc spicarum vellitionem: ipsi enim me quasi Prophetam et Messiam sequuntur, maeque sacrae doctrinae adeo intenti sunt, ut panum et ciborum parandarum oblit fuerint. Cur ergo famem ex opere tam pio contractam non levent vellitione spicarum in Sabbato? Nota *legis*: haec enim ad verbum nusquam leguntur in S. Scriptura, sed quod rem et sensum habentur, *Numer. XXVIII* et alibi, ubi sanatur ritus sacrificandi in Sabbato. Hinc Iudeorum axioma est: « In templo non esse Sabbatum, » id est vacationem ab operibus, quia in templo continuo sacrificatur, hoc est jugulatur, excoeritur, dissecatur, lavatur, comburitur victimae. Sacerdotes enim tunc erant laniones.

6. DICO AUTEM VOBIS, QUIA TEMPLE MAJOR EST HIC, — qui vellere spicas permittit suis discipulis, puta ego; loquitur enim Christus de se in tertia persona modestae causa. Sensus est, *q. d.* Si templi sanctitas excusat sacerdotes sacrificantes a violatione Sabbati; ergo eadem me meoque vellitione, quia ego major et sanctorum sum templo, imo Dominus sum templi, cui scilicet victimae omnes in templo immolantur et sacrificantur. Quare ergo intrinsece sanctus, adeoque ipsa increata et immensa sanctitas sum, temploque omnem externam istam sanctitatem impertior.

7. SI AUTEM SCIRETIS QUID EST: MISERICORDIAM VOLO, ET NON SACRIFICIUM; NUNQUAM CONDENNASTIS INNOCENTES. — Syrus, *non condemnassetis eos* (discipulos meos) *cum insontes sint*. Citat *Osae, IX, 13*. Vide ibi dicta. Vis argumenti est, *q. d.* Misericordia potior est praestatico sacrificio et Sabbato; ergo ob eam licet violare quietem Sabbati. Perperam ergo, o Scribae, accusetis et condemnatis haec in re meos discipulos, cum ipsi in ea sint innocentes, vacentque omni culpa ob misericordiam hic exercitam. Misericordia haec est, qua ego miseris et famelicis meis discipulis permisi vellere spicas in Sabbato; ita enim ea, quam ipsis instillo et inculco tam verbo, quam exemplo: itaque eos preparo, ut misereantur tot miserarum animarum perentium, earumque salutem docendo, monendo, orando, omni cura et studio procurant. Huc pertinet aurea Simeonis iusti (quem Hebraei censent illum esse, qui Christum in ulnas suscepit, cygneum canens: « Nunc dimittis servum tuum, Domine, » etc.) nomine in *Pirke Avoth*, hoc est in *Sententiis Patrum*: « Mundus

Tribus manibus fulcitur

tribus rebus incumbit et sustentatur: primo, lege; secundo, cultu divino; tertio, misericordia. » Porro, Arabice posteriorem partem legit in singulari: *Non iudicaretis super eum, cui non est peccatum*, id est non iudicaretis me innocentem, qui haec Apostolis permisit. Est haec tertia apologiae Christi pro discipulis ratio. Sequitur quarta.

8. DOMINUS EST ENIM FILIUS HOMINIS ETIAM SABBATI. — *q. d.* Ego qui per naturam sum Filius Dei, et per dignationem factus sum filius hominis, id est homo; hoc ipso sum Dominus, id est auctor et legislator totius legis Mosaicae, ac consequenter et Sabbati: ergo in ea dispensare possum cum meis discipulis.

Quintam rationem addit Marcus, II, 27: « Sabbatum, inquit, propter hominem factum, et non homo propter Sabbatum; » de quo ibi.

9. ET CUM INDE TRANSISSET, VENIT IN SYNAGOGAM EORUM. — Addit Lucas, VI, 6, hoc factum aliter Sabbato. Diem enim Sabbati studio ad novum miraculum captavit Christus, ut hunc errorem Scribarum, scilicet Sabbato non licere ergros sanare, iterum iterumque confutaret. Tam clara fuit illi veritas liberaeque veritatis praedicatione, ut eam ubique captarit, etiam si sciret propterea Scribas sibi machinatos mortem, ideoque sibi in cruce esse moriendum.

10. ET ECCE HOMO HABENS MANUM (dextram, ut habet Lucas) ARIDAM (Syrus, *cujus manus aruerat*); ET INTERROGABANT EUM, DICENTES: SI LICET SABBATIS CURARE? ET ACCUSARENT EUM. — Addit S. Hieronymus: « In Evangelio quo utuntur Nazareni et Ebionitae (quod nuper in Graecum de Hebraeo sermone translatus, et quod vocatur a plerisque Matthaei authenticum) homo ille, qui aridam habet manum, camentarius scribitur, istiusmodi vocibus auxilium precans: Camentarius eram manibus victum queritans: precor te, Jesu, ut mihi restituis sanitatem, ne turpiter mendicem cibos. » Sub manu intellige brachium; *yeigenim*, id est manus, Hippocrati a seapulis ad digitos protenditur; brachium ergo hoc laborat duplici morbo: primo, convulsione nervorum; secundo, atrophiam; ob defectum enim alimenti exaruerat, ideoque naturaliter erat incurabile, ut ostendit Guilielmus Ader medicus, lib. *De Aegrotis Evangelii*, cap. XI.

Porro, manus est organum tam nobile, ut Deus soli homini manus dederit exporrectas, belluis denegatas, quibus facile prosequatur quaecumque mens iusserit. Ita Galenus, lib. *I De Usu partium*. ET INTERROGABANT EUM, — scilicet Christum Scribae et Pharisei, an liceret aegrum in Sabbato curare? Deinde, ut narrat Marcus, III, 4, et Lucas, VI, 9, Christus vicissim interrogavit Scribas alium quæstionem, quae interrogationem eorum solveret, scilicet an liceret Sabbato *benefacere*, et manum aridam curare; an *malefacere*, id est non curare et nocere? tacite significans, misero non

benefacere, cum possis, esse illi malefacere; et animam sive vitam non servare, cum possis, esse illam perdere; ac proinde, cum hoc lege naturae permisum, imo iussum sit, non esse vitium lege positiva Sabbati: hoc enim esset irrationale, si lex positiva vetaret beneficentiam in Sabbato jure naturae permissam, aut preciperet maleficentiam et noxam, jure naturae vitium.

UT ACCUSARENT EUM — apud vulgus quasi impotentem vel immisericordem, si aegrum non curaret; sin curaret quasi Sabbati violatorem et sacrilegum apud Pontificem et Principes sacerdotum.

11. IPSE AUTEM DIXIT ILLIS: QUIS ERIT EX VOBIS HOMO, QUI HABEAT OVEM UNAM; ET SI CECIDERIT HEC SABBATIS IN FOVEAM, NONNE TENEBIT ET LEVABIT EAM? — *q. d.* Vos, Scribae, docetis non violari Sabbatum, si quis ovem lapsam in fossam Sabbato apprehendat et extrahat, ne cuiusvota die Sabbati cogatur in fossa manere, esurire et incommodum habere. Ergo multo magis licet Sabbato hominem aegrum et afflictum segritudine sua levare et sanare. Ita sentiant Scribae tempore Christi, et iam nonnulli Iudei ita superstitione quietem in Sabbato observant, ut eo 'ie nec hominem in cloacam aut latrinam lapsum extrahere velint, nisi obnoxi lapsi ipsi extrahi se permittant. Lepidum est servatium, quod narrat Volaterranus, lib. III *Geograph.*, sub finem: « Tempore Henrici III, regis Anglie, inquit, qui regnare cepit anno Domini 1208, Iudeus quidam Terksburi in Anglia in cloacam lapsus Sabbato, ob diei religionem extrahi noluit. Id ipsi evidens comes loci Christianus, nec in sequenti die eum extrahi permisit ob Dominicæ reverentiam: quare ille, antequam extraheretur, extinctus et suffocatus est. » Dicebat enim:

« Sabbata sancta celo, de stercore surgere nolo.

« Cui vicissim comes: « Sabbata nostra (Christiana, puta Dominicam) quidem, Salomon, celebrabis ibidem. »

12. QUANTO MAGIS (Graece, *quanto igitur*) MELIOR (prestantior, dignior, nobilior) EST HOMO OVE! ITAQUE LICET SABBATIS BENEFACERE. — Arabicus, *itaque licet operatio sui in Sabbatis*. Si licet ovem curram sua levare in Sabbato, cur non hominem, praesertim cum in ovis levatione magno multorum molimine, labore, tempore, funibus, vel scalis opus sit. Christus vero in instanti solo verbo vel jussu, sine periculis hominem aegrum curatum esset? Quodnam hic est opus servile? Quare id vetare stolidum, ferum, barbarum est. Unde addit Marcus: « Et circumspicis eos cum ira, contristatus super occitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. »

13. TUNC AIT HOMINI: EXTENDE MANUM TUAM, ET EXTENDIT (Christo imperante et dante ei virtute), ET RESTITUTA EST SANITAS Sicut altera, —

Syrus, *sicut scia ejus*. Christus prius ratione, et

Ver. 11.

Superstitio Sabbati Iudei observatio.

Lepidum Iudei dicitur.

Ver. 13.

irone facta, scilicet miraculo, confutat Scribarum incitiam et invidiam, suamque sapientiam et beneficentiam toti populo testatam facit, illustrem reddit. Audi S. Athanasium, homil. De Semente, quæ exstat sub finem tom. I: « Tum dixit illi Jesus: Extende manum tuam; nam ego te non tango, ne habeant Judæi quod calumnientur, ne attingere illis idem sit quod operari; verbo tantummodo ago. Non enim prohibitum est a Deo, ne quis in Sabbato loquatur. Quod si autem verbum opus efficiat, admirationi sit ille, qui hoc verbum dixit: Extende manum tuam. Vide jam mihi discrimen facti. Petrus in speciosa porta paralyticum sanans, apprehensa ejus dextra illum erexit; Dominus contra tantum jubet: Extende manum tuam, tibi do vim et efficaciam sanitatis, et verbis jubendo, hanc potestatem tibi insero. Extende manum tuam. Sic ille dixit, sic iste fecit, et restituta est ipsa manus. »

Allegorice: prima, Beda: « Adam, inquit, carpens pomum velutum, manum humani generis arefecit, id est potentiam operationemque hominis fecunditate boni operis privavit: at Christus eam restituit, extendens manus suas in cruce. »

Secundo, S. Hieronymus: « Usque ad adventum Salvatoris, ait, arida manus in Synagoga fuit Judæorum, et Dei opera non fiebant in ea: postquam ille venit in terras, reddita est in Apostolis credentibus dextera, et operi pristino restituta. »

Tropologie: in Synagoga et congregatione doctorum, ubi major est scientia, manum dexteram habet aridam, qui eam ad Deum per orationem, ad proximum per misericordiam, ad seipsum per bona opera, quibus sibi merita et premia in cælis accumularet, non extendit. Ita S. Athanasius, homil. jam citata; Beda, Euthymius, Theophylactus. Manum ergo, quam torpescit aecidia, contrahit avaritia, arefecit inertia, Christus sua gratia facit, ut extendat alacritas, dilatet liberalitas, vegetet zelus et fervor ad omne bonum opus exequendum. Audi S. Anselmum: « Sananda manus arida jubetur extendi, quia infructuose animæ debilitas nullo melius ordine, quam elemosinæ largitate curatur. Unde Joannes Baptista turbis seicitantibus quid facerent, ut non velut arbores aride mitterentur in ignem, hoc solum præcipit: Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat, Luc. iii, 11. Et in Ecclesiastico dicitur: Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta, Eccli. iv, 36. Frustra enim manus ad Deum pro peccatis rogaturus expandit, qui non has ad inopem rogantem beneficium laturus extendit. »

14. EXERTENS (e Synagoga, relicta turba, apud Luc. vi, quam mutire non audebant confusi, ait Franciscus Lucas) AUTEM PHARISÆI CONCILIUM FACIEBANT ADVERSUS EUM, QUOMODO PERDERENT (id est occiderent) EUM. — Magna fuit hæc Phariseorum in-

vidiâ, ingratiitudo et malitia, auctori vite machinari necem, ut quia ipse tot agris sanitatem restituebat, mortem illi rependerent.

15. JESUS AUTEM SCIENS (virtute divina cognoscens arcana eorum contra se consilia), RECESSIT INDE, ET SECUTI SUNT EUM MULTI, ET CURAVIT EOS OMNES. — Qui scilicet ægri erant et sanatione egebant, quos multos fuisse ait Marcus, iii, 10. Ubique suam potentiam et beneficentiam commendat Christus. Sicut enim solis est illuminare omnes qui obtem non ponunt; sic illi et Christiani est benefacere omnibus qui beneficium poscunt.

16. ET PRÆCEPIT EIS, NE MANIFESTUM EUM FACERENT. — Græce ἐπισημασεν, id est increpavit, comminatus est, cum minis præcepit, ne divulgarent miracula ab eo patrata, tum ne Scribas offenderet et ad majorem invidiam iramque concitaret; tum ut ostenderet quam remotus esset a captanda hominum gloria.

17. UT ADMIRETUR QUOD DICTUM EST PER ISAIAH PROPHETAM DICENTEM (cap. xlii, 1):

18. ECCE PUER MEUS (Messias, ait Chaldaeus) QUEM VISI ELEGI, DILECTUS MEUS, IN QUO COMPLACUIT ANIMÆ MEÆ. PONAM SPIRITUM MEUM SUPER EUM. — DONA SPIRITUS SANCTI ILLI IN DAM IN EJUS CONCEPTIONE.

Puer meus, Hebr. בן־עמי, id est servus meus: unde patet Isaiam loqui de Christo, non qua Deus est, sed qua homo: sic enim est servus Dei. Probat Christum reipse, docendo et sanando ægros, implevisse Isaiæ de se suaque modestiâ, misericordiâ et æquitate vaticinium; ac proinde ipsum esse Messiam ab Isaiâ predictum, et hæc dotibus eum notis et indicibus insignitum. Pro quem elegi, Hebr. est suscipiam eum; Septuag., assumam eum; Chald., admovebo eum.

ET JUDICIUM GENTIBUS PROFERET. — « Judicium, » id est id quod justum et æquum est: hoc enim rectorum judicium est judicium, q. d. Christus quasi legislator legem Evangelicam justissimam, rectissimam et sanctissimam, non solis Judæis, ut Moses, sed omnibus omnino gentibus per Apostolos evangelizabit.

19. NON CONTENTE, NEQUE CLAMABIT, NEQUE AUDIET EUS.

ALIQUIS IN PLATIS VOCEM EUS. — Notatur Christi mansuetudo, et mansuetus placidusque et lenis docendi modus. Et hæc de causa hoc Isaiæ testimonium profert Mattheus.

20. ARUNDINEM QUASSATAM, NON CONFRINGET, ET LINCUM FUMIGANS NON EXTINGUET. — Syrus et Arabicus: Et lucernam ad extinctionem tendentem non exstinguet. Est geminum proverbium idem significans, scilicet Christum infirmos et debiles in fide, spe et charitate, non contentiosè cum clamoribus increpaturum et oppressurum, sed sua mansuetudine, lenitate et patientia magis roboraturum et accensurum. Ita S. Hilarius et S. Hieronymus. Omnia enim hæc commendant admirabilem et divinam Christi mansuetudinem. Audi Patres. S. Hieronymus: « Qui peccatori non

porrigit manum, nec portat onus fratris, quassatum calamum confringit; qui scintillam fidei committit in parvulis, lignum exstinguunt fumigans. » S. Augustinus, lib. XX De Civit., cap. xxx: « Persecutores Christi, perdita integritate, quassato calamo et amisso lumine, lino fumanti comparantur, quibus pepercit, qui non venit judicare. » S. Hilarius: « Ostendit se posse eos facile frangere, ut arundinem contritam, et eorum furorem exstinguere. » Rabanus: « Quassata gentes non sunt contrite, sed in salute reservata, nec Judæi a vento agitati condemnati statim, sed supportati patienter. Gentes, quæ extincto naturalis legis ardore, fumi amarissimi, et oculis noxii, tenebrosæ caliginis involuebantur erroribus, a Christo sunt in maxima incendia suscitati. »

DONEC EICIAT AD JUDICIUM VICTORIAM, — id est donec perducat judicium, id est justitiam, sive fidem et sanctitatem Evangelicam ad victoriam, ut illa scilicet toto orbe dominetur. Unde Noster in Isaiâ vertit: « Ponet » ipse, quasi Dominus et victor, « in terra judicium, » scilicet quasi reginam et dominam omnibus imperantem. Hebr. est: « Proferet judicium ad veritatem, » id est proferet judicium verum.

21. ET IN NOBINE EUS GENTES SPERABUNT. — Pro Gentes, Hebr. est Insule, q. d. Gentes remotissimæ in insulis habitantes, omnes spes suas collocant in Christo Salvatore. Fusius hæc omnia explicui Isaiæ xlii, 1. Vide ibi dicta.

22. TUNC OBLATUS EST EI DEMONIUM HABENS; CÆCUS ET MUTUS, ET CURAVIT EUM, ITA UT LOQUERETUR ET VIDERET. — Lucas, xi, 14, tantum dicit fuisse mutum (unde S. Augustinus, lib. II De Consensu Evang., cap. xxxvii, opinatur Lucam de alio demoniaco loqui), sed non negat fuisse et cæcum, quod asserit hic Mattheus. Fuit autem non a nativitate aut ex morbo cæcus et mutus, ut vult Abulensis hic, Quæst. L, et Barradius, sed a demone eum possidente oculorum et aurium usu privatus. Demon ergo non eum excoecaverat, nec facultatem loquendi ei ademerat, sed tantum oculorum et lingue exercitium usumque impedi-

ebat; unde, demone ejecto, sine alia operatione vel miraculo, statim cepit loqui et videre. Ita S. Chrysostomus, Euthymius, Lyranus, Jansenius, Maldonatus. Audi S. Chrysostomum: « O pestiferam demonis astutiam: utramque viam occupavit atque obstruxit, quibus ille erat crediturus, visum atque auditum. » Hinc S. Lucas ait: « Illud (demonium) erat mutum, » scilicet effectivum, quia hominem a se possessum efficiebat mutum, unde et ipse demon, licet interrogatus vel adjuratus, per os ejus non loquebatur, nec respondebat, quasi fuisset dlinguis et mutus, qui alias solet esse loquax, et loquaces facere, quia in loquacitate nulla committuntur peccata. Fuit ergo proprie et se unum tantum miraculum, scilicet ejectio demonis; consequenter tamen et in effectu fuit triplex. Nam, ut ait S. Hieronymus:

« Trias signa simul in uno homine perpetrata sunt: cæcus videt, mutus loquitur, possessus a demone liberatur. »

Tropologie S. Hieronymus: « Quod tunc, inquit, carnaliter factum est, quotiè compleitur in conversione credentium, ut expulso demone primo fidei lumen aspiciant, deinde in laudes Dei tacentia prius ora laxentur. » Et S. Hilarius: « Non autem sine ratione, cum turbas omnes curatas in communi dixisset, nunc seorsum demonium habens cæcus et mutus offertur. Oportebat enim ut postquam manus aridæ homo oblatu est, qui in synagoga curabatur, in unius hujusmodi hominis forma gentium salus fieret: ut qui erat habitatio demoni, et cæcus et mutus, Deo capax pararetur, et Deum contineret in Christo, et Christi opera Dei confessione laudaret. » S. Augustinus: « Demonium enim habens, cæcus et mutus est, qui non credit; et subditus est diabolo, qui non intelligit, et non confitetur ipsam fidem, vel qui non dat laudem Deo. » Hæc Augustinus, lib. I Quæst. Evang., Q. III. Demon ergo facit homines mutos, ne peccata confiteantur, sique venenum expuant, ne laudent Deum, nec proximos doceant vel corripiant; sed Christus sua gratia laxata oram ad confitentium, laudandum, docendum et monendum, quando oportet. Sapienter S. Bernardus, in Sententiis: « Cur, ait, te pudet peccatum tuum dicere, quod non audit peccatorem? aut cur erubescis Deo confiteri, cujus oculis non potes abscondi? quod si forte pudor est tibi, uni homini, et peccatori, peccatum tuum exponere, quid facturus es in die iudicii, ubi omnibus exposita tua conscientia patebit? »

Porro, contigit hæc historia, ut et ea quæ narrat Mattheus, xiii, ante missionem Apostolorum; nam quæ cap. xiv narrat, statim a reditu Apostolorum ad Christum contigisse liquet ex Marco et Luca. Ita Jansenius, Franciscus Lucas et alii. Maldonatus tamen et Barradius aiunt non esse necessarium faciem hie historie ordinem invertere et turbare, præsertim cum Patres eum servant, ut patet vers. 27. Sed Patres, rei et historie intenti, de ordine partum sunt solliciti.

3. ET STUPERANT OMNES TERRÆ, ET DICEBANT: Vides. 23. Nescit hic est filius David? — Græce κίχρω, Luc. xi, id est admirabantur attoniti, ita ut extra se in extasi quasi raperentur, visis tot tantisque Christi miraculis, unde dicebant: Nullus Propheta tot tantaque fecit prodigia, quanta fecit Jesus. Ergo iis omnibus est major; ac consequenter ipse filius David, id est Messias Davidi promissus, quasi filius ex ejus semine nasciturus, quem omnes avidè expectamus, sit oportet.

24. PHARISÆI AUDIENTES DIXERUNT: Hic non videt. 24. EICIAT DEMONIA, NISI IN BEELZEBUB PRINCIPIS DEMONIORUM. — Pharisei invidia et odio Christi excoecati, quia miracula ejus tam clara et testata negare non poterant, calumniantur illa magica esse, nec a Deo, sed a Beelzebub patrari. Fecit

Vers. 24. Luc. xi, 43; Mar. iii, 22.

ergo Christum magum, qui demonem habeat familiarem, cuius vi mira efficiat. Quis fuerit Beelzebub, dixi cap. x, 25.

Vers. 25. 26. JESUS AUTEM SCIENS COGITATIONES (multo magis blasphemias verba, quae contra Christum absentem in circuitu dixerunt vers. 24) EORUM, DIXIT EIS : OMNE REGNUM DIVISUM CONTRA SE DESOLABITUR; ET OMNIS CIVITAS, VEL DOMUS DIVISA CONTRA SE, NON STABILIT. — *q. d.* Omne regnum, imo omnis urbs et domus, cujus incolae mutuis dissidiis contra se invicem pugnant, stare nequit, sed cito intestina seditione et bello evertetur : « Ut i concordia res parvae crescunt, ita discordia maxime dilabuntur, » ait S. Hieronymus. Concordia enim est quasi calx qua partes domus unit et confluitant : tolle calcem, lapides dilabentur et corruet tota domus : tolle concordiam, diffident civis et discordes se invicem periment. Centrum in se unit omnes lineas circuli diametrales : tolle centrum, omnes ille diffident. Centrum urbis, domus et collegii est unio et concordia. Ita Romanum imperium perdidit discordia, cum populus in magistratum, nullites contra senatum, senatus in se divisus contra seipsum pugnavit. Lege Livium. Lucanum et alios de civilibus bellis, praesertim Julii Caesaris et Pompeii.

Concordia est calx urbis.

Vers. 26. 26. ET SI SATANAS SATANAM EJICIT, ADVERSUS SE DIVISUS EST : QUOMODO ERGO STABILIT REGNUM EJUS ? — *q. d.* Stare nequiret regnum Satanæ in terra, si Satanæ, id est demoni, unus assidue contra alterum hostiliter insurgeret, et adverso Marte depugnaret, ut superior inferiorem, vel inferiori superiorem ex hominibus (in quibus demones adeo regnare regnumque suum stabilire appetunt) continuo ejiceret, uti vos, Scribae, videtis me continuo et assidue, hostiliter et adversa fronte persequi demones, eosque ex mentibus et corporibus hominum expellere : ergo non ope Beelzebub, ut vos dicitis, sed virtute Dei illos ejicio. Neque enim Beelzebub tam stolidus est, ut demones sibi subditos inter se committat, ut unus illum expellat, si enim ipse regnum eorum suumque destrueret; unde et milites seditiosi, cum suo rebellant principi, summe inter se uniantur et consentiunt, quia sciunt, si dissentiant, se a principe facile occupandos et evertendos fore. Dixi : *hostiliter*; nam Apollonius Thyaneus, teste Philostrato in ejus Vita, et magi subinde demones ejiciunt, sed ex composita collusionione, ut homines ad magos et magiam, id est societatem cum demone pertrahant: nullam autem societatem se cum demone habere probat Christus in sequentibus. Dixi : *assidue*; nam subinde ilis et pugna inter ipsos demones de homine possidendo oritur. Narravit mihi Rome sacerdos senex fide dignus, qui per plures annos officio exorcistae functus fuerat, demonesque expulerat, se suis oculis vidisse et suis auribus audivisse duos a demonibus possessos, in templo S. Matthaei inter se contententes et decertantes. Demon enim possidens unum

erat altioris ordinis, et superior altero; hio altero, quasi se inferiorem, ex homine quem possidebat, ejicere volebat. Sed adversa fronte restitit inferior, varisque in superiorem probra coniecit, et inter alia dixit : « Tu es demon infernalis, ac justo Dei judicio in inferno relegatus : longe gravius puniris quam ego, qui non sum demon infernalis; sed in hoc aere versari permittor, quia non rebellavi Deo ut tu, sed Lucifero, quasi subditus superiori meo, nude duntaxat adhesi et consensi. » Sed haec parraria sunt, et tandem in pacem desinunt, ut hi duo inter se contententes, paulo post posuere lites, quieverunt et tacerunt. Licet enim damnati et demones ardeant superbia, ira et odio contra se invicem, et ringantur rixenturque in inferno ut canes; tamen in terra, ut regnum suum dominatumque in homines stabiliant, inter se consentiant oportet.

27. ET SI EGO IN BEELZEBUB EJICIO DEMONES, FILII VESTRI IN QUO EJICIUNT? IDEO IPSI JUDICES VESTRI ERUNT. — Est hoc secundum Christi argumentum, quo probat se ope Dei, non Satanæ ejicere demones. Per filios vestros primo, S. Iliarius, S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius accipiunt vestros Apostolos, qui erant filii Judaeorum. Consent enim ipsi haec contigisse post missionem Apostolorum factam a Christo in qua Apostoli ope Christi demones expulerunt et miracula plura patrarunt. Verum quia verus est, ut dixi vers. 22, haec contigisse ante missionem Apostolorum, hinc melius per filios accipias exorcistas Judaeorum, qui arte a Salomone tradita, teste Josepho, lib. VIII, cap. II, expellebant demones, quales fuere septem filii Scevae principis Sacerdotum, Act. XIX, 14. Ita Jansenius, Toletus, Franciscus Lucas et alii.

IDEO IPSI JUDICES VESTRI ERUNT. — *q. d.* Ideo in die iudicii ipsi vos suo facto et exemplo condemnabunt, quod tam perversum de ipsis et in iudicium toleratis, scilicet quod judicaveritis ipsos ope Dei expulisse demones, me autem ope diaboli, cum tamen longe majora praesentiae et operationis Dei in me indicia videritis, quam in vestris exorcistis. Quis enim eorum tot aegros sanavit, tot mortuos suscitavit, quot ego sanavi et suscitavi? Quis eorum tam sublimem et divinam doctrinam praedicavit, sicut ego praedico? Quis eorum tam puram et sanctam vilam egit, sicut ego ago? Sic Regina Saba et Ninivite ipso facto, id est sua fide et poenitentia, in die iudicii condemnabunt Judaeos Christo incredulos et imponentes, versibus 41 et 42.

28. SI AUTEM EGO IN SPIRITU DEI EJICIO DEMONES, IGITUR FERVENT IN VOS REGNUM DEI. — *q. d.* Si ego virtute Dei et Spiritus Sancti, non Beelzebub, expello demones, uti jam probavi; ergo verum est, et ipse Spiritus Sanctus miraculoso suo ad mea miracula et expulsionem demonum concursu aperte testatur verum esse, quod ego et Joannes Baptista caput et summam praed-

ejicio in inferno sed. cap.

Vers. 27. Lac. II, 19.

tions nostrae posuimus, scilicet : « Appropinquavit regnum caelorum. » Videtis enim demonis regnum passim per me, et verbis et factis, in corporibus et animabus hominum destrui, sicque inchoari regnum Dei per gratiam, quod in caelo perficitur, ubi Deus in Sanctis regnat per gloriam. Hoc est, quod ait Joannes, *epistol.* I, cap. III : « In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. » Nam, ut ait S. Leo, *serm.* 10 *De Passione* : « Clavi illi, qui manus Domini pedesque transfoederunt, perpetuis diabolum fixere vulneribus, et sanctorum poena membrorum inimicarum fuit interfectio potestatum. »

29. AUT QUOMODO POTEST QUISQUAM INTRARE IN DOMUM FORTIS (SYDUS, STRENUUS) ET VASA EJUS DIRIGERE, NISI PRIUS ALLIGAVERIT FORTEM, ET TUNC DOMUM ILLIUS DIRIPIET ? — Pro aut, Graece est *et*, quod Pagninus veritè *alioqui*; Arabibus *et*; alii namq; alii *an*, ut superius dixi. Proponitur hic nova ratio, puta tertia qua probat Christus se ope Dei, non Beelzebub, ejicere demonia, peti-turque a comparatis, *q. d.* Sicut qui invadit arcem vel domum alleujus fortis vel potentis viri, vel tyranni, v. g. Sansonis aut Herculis, ut eam expoliet, id facere nequit, nisi ipsum herum fortem prius domet et alligat; alioqui ipse sua defendet, et spoliis armata manu prohibebit : sic pariter ego Christus, qui Satanæ regnum expolio, dum peccatores illi subditos ad poenitentiam et salutem traduco, necesse est ut Satanam ipsum domuerim et alligarem; alioqui enim ipse non ferret hoc spoliium a me fieri : hostis ergo mihi, et a me domitus est Satanæ, non amicus, non socius in ejectione demonum, ut vos calumniamini. Fortis ergo hic est diabolus; domus est mundus; vasa sunt arma; instrumenta supellex; arma diaboli sunt artes, fraudes, illecebrae, quibus allicit homines ad vitia, uti sunt opes, honores, voluptates, item demones inferiores et impii homines, ait S. Chrysostomus, quibus diabolus utitur contra nos, ut nos tentet et vexet. Supellex sunt peccatorum animæ et corpora a demone possessa; item Patrum animæ in limbo ante Christum detentæ : hæc omnia diripuit et eripuit illi Christus, alligato in gehenna diabolo : unde Lucas, XI, 24; vasa exponit *arma et spolia*.

Porro, diabolus hic vocatur fortis, quia instar leonis rugientis circuit querens quem devoret, ait S. Petrus; unde ejus robur et fortitudinem depingit Job, XL et XLI, sub specie Behemoth et Leviathan. Diabolus hic et alibi vocatur caput et princeps malignorum spirituum, qui eos in mundum immittit, ut eum sibi subjiciat. Fortem ergo accipe Luciferum, qui est princeps demonum, ideoque antagonista Christi et S. Michaelis. Lucifer enim a Christo in cruce victus, detrusus est in tartara, ut ibi personaliter degat ligatus usque ad diem iudicii; tum enim ad modicum tempus solvetur, ut ait Joannes, *Apocal.* XX, 2 et sequent., itaque docent S. Gregorius, Ambrosius, Lactan-

Lucifer detrusus a Christo.

tius, Andreas Cretensis, Viegas et Ribera, quos ibidem citavi, ac Franciscus Suarez, lib. VIII *De Angelis*, cap. XVI, num. 8. Lucifer enim in Scriptura vocatur draco, serpens antiquus, diabolus, satanas per antonomasiam. Porro, ita ligatus est Lucifer in inferno, ut non tantum per se exire non possit, sed etiam per suos demones, quos in terram emittit, non tantum hominibus nocere possit, quantum antea : Christus enim eorum vires et facultates valde restrinxit, minuit et arcavit, ut ipse hic et *Apocal.* XX, 2, ubique significat. Vidè dicta *Apocal.* XX, 2. Idipsum edoctus per longam experientiam S. Antonius, teste Athanasio, in ejus Vita, cap. VI et seq., prolixè edocet : « Diabolus, inquit, hamo crucis, ut draco aduncatus a Domino est, et capistro ligatus, et quasi mancipium fugitivum vincitur : circulo et labia armilla perforatus nullum omnino fidelium devorare permittitur. Nunc miserabiliter ut passer ad ludum iretibus a Christo est; nunc comites suos quasi scorpionem et serpentes calcaneo Christianorum substratos gemit. Ille qui universa maria a se deleta quaerebat, ille qui orbem terrarum manu sua teneri pollicebatur, ecce a vobis victus, ecce me adversum se prohibere non potest disputantem. » Et cap. XX, idipsum ex confessione diaboli confirmat : « Vidi, ait, hominem enormi sublimitate, porrectum caput usque ad caelum. Cum ab hoc, quisquam esset, inquirem, ait : Ego sum Satanas. Et ego : Quid, inquam, hic quaeris? Respondit : Cur mihi frustra impuntati monachi? Cur mihi omnes Christianorum populi maledicunt? At ego : Faste faciunt; tuis enim frequenter molestatur insidias. At ille ait : Nihil ego facio, sed ipsi se invicem turbant. Nam ego miserabilis factus sum. Rogo, nonne legisti? Quia defecerunt inimici frames in finem, et civitates eorum destruxisti? En nullum jam habeo locum, nullam possideo civitatem, cum mihi nulla sunt arma; per omnes nationes jamque provincias Christi personat nomen, solitudinesque monachorum supantur choris. Ipsi se, quæso, tueantur, et me sine causa non laerent. » Subdit diabolus interitus tantum prævalere : « Nam quales, ait, nos et nostras repererunt cogitationes, tales se nobis præstare consueverunt. Et si quid in peccatoribus male mentis et pavoris semen invenerint, quasi latrones, qui deserta obtinent loca, ceptos cumulant timores, et crudeliter imminentes, infelicem puniunt animam. » Unde concludit : « Una est ergo ratio vincendi inimicum, laetitia spiritualis et anima semper Dominum cogitantis iudis recordatio, quæ demonum ludos quasi fumum expellens, persequatur adversarios potius quam timebit. »

30. QUI NON EST MECUM, CONTRA ME EST; ET QUI NON CONGRUGAT MECUM, SPARGIT. — Primo, S. Hila- rius, S. Hieronymus, S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et Toletus in *Lucæ* XII, 23, de *forti*, id est diabolo, exponunt, *q. d.* Diabolus

Vers. 30. Lac. XII, 23.

a Deo mecum non est, ut contra me sit, et ea, que ego congrego; dispersere conetur. Est ergo hic novum quartumque Christi contra Scribas argumentum, estque tale: Quorum opera sunt contraria, illi sunt contrarii; at mea et diaboli opera sunt contraria; ergo ego et ipse sumus contrarii: nam, ut ait S. Hieronymus, « ille (diabolus) cupit animas hominum tenere captivas, Dominus liberare; ille predicat idola, hic unius Dei notitiam; ille trahit ad vitia, hic ad virtutes revocat. Quomodo ergo possunt inter se habere concordiam, quorum opera diversa sunt? »

Secundo, simpliciter cum S. Chrysostomo et Theophylacto hæc generatim accipias, proprieque applices Phariseis, *g. d.* Sicut cum in regno vel urbe oritur seditio, et una pars in aliam insurgit, ut maligni homines republicam occupare et spoliare conentur, ut fecit Romæ Catilina cum suis conjuratis, tunc necesse est ut probi cives republicam defendant, adeoque quid non facit, sed neutralis esse vult, censetur esse hostis et socius seditiosorum illum impugnantium; quia illo casu cives omnes civitatem et republicam omni studio et vi propugnare tenentur: sic pariter ego qui universale bellum Satanae indixi, ut eum mundi imperio, quod ipse tyrannice occupavit, depellam, omnes homines velut mundi cives, utpote mihi quasi legitimo principi subditos et obstrictos, qui mecum in hoc bello non sunt, nec sub me militant, mihi contrarios et hostes meos deputo et decerno, atque ut tales persequar, puniam et plectam. Tales autem estis vos, o Pharisei, qui cum primi, utpote mei subditi et quidem cæteris doctiores, me tanquam Messiam et Christum in vestra lege et Prophetis presignatum, deberetis recipere, meque apud populum ut talem commendare, clanculum tamen mihi adversamini, palam autem dissimulatis, quasi Judices inquisitur de mea doctrina et vita. Quare vos habeo ut hostes mihi contrarios, et eum Satana in mei exitum conspirantes, quia homines quos ego colligo ad unitatem fidei, ad charitatem, ad unius Dei religionem, vos ad multiplices vestras ceremonias, traditiones, superflitiones, errores trahitis et dispergitis, ac a me, a salute, a Deo avertitis, ut faciunt hæretici et schismatici, quibus apposite hanc gnomen adaptat S. Cyprianus, lib. III *Ad Quirinum*, num. 86, et S. Ambrosius, lib. II *De Penitentia*, cap. IV.

Quare hæc Christi sententia non est contraria illi ejusdem Christi apud Lucam, IX, 50: « Qui non est adversum vos, pro vobis est; » ibi enim loquitur de eo qui reipsa in doctrina cum Apostolis consentit, ideoque cum iis et pro iis est, licet id explicite ob justam causam non profiteatur, ut ibi patet.

Porro, Franciscus Lucas censet posteriori membro hujus sententia idem prorsus significari, quod priori, uti sæpe fit in Psalmis et Proverbiis. Sic

enim ipse explicat: Christus neminem pro suo agnoscit, qui non integro sincereque animo ipsi adhaereat: diabolus omnes absque delecto ad sua castra admittit, quantumvis diversos atque adversos, modo Christo non faveant. Vide supra cap. VI, 40: « Qui ergo non congregat mecum, » id est non se aggregat mihi, non adheret mihi, « spargit, » sive ut habet Syrus, *spargendo spargit*, hoc est omnino spargit, elongat se a me, ab in dispersionem cum Satana, adversarium se mihi constituit. Hæc Franciscus Lucas.

Verum aliud est congregare cum aliquo, aliud aggregare se alicui: quare prior sensus, quem dedi, est germanior.

31. IDEO MECO VOBIS: OMNE PECCATUM ET BLASPHEMIA REMITTITUR HOMINI: SPIRITUS AUTEM BLASPHEMIA NON REMITTITUR. — T^o spiritus est genitivi casus, ut patet ex Græco *πνεύματος*. Blasphemia ergo spiritus, est blasphemia contra Spiritum Sanctum; unde Arabicus vertit: *Blasphemia in Spiritum Sanctum*; Syrus: *Blasphemia in Spiritum sanctitatis*.

Quæres, quænam est hæc? Primo, Philastrius, in *heresi Rhetorici*, censet esse hæresim, presertim Eunomii, qui negabat Spiritum Sanctum esse Deum. Sic et S. Ambrosius, lib. I *De Spiritu Sancto*, cap. III, et Epiphanius, *heres. 50*.

Secundo, S. Hilarius censet blasphemiam in Spiritum Sanctum esse eam, qua quis negat Christum esse Deum: « Peccatum, ait, in Spiritum Sanctum est, Deo virtutis potestatem negare et Christo substantiam adimere æternitatis: per quem quia Deus in hominem venit, homo rursus fiet in Deum, cum cæteris Deus veniam largiatur, hoc solum extra veniam est. »

Tertio, S. Ambrosius, lib. II *De Penitentia*, Tertio, cap. IV, censet esse schisma, item simoniam, qua v. g. Simon Magnus pecunia volebat emere Spiritum Sanctum a S. Petro, *Act. VIII*.

Quarto, Origenes ait esse omne peccatum mortale post baptismum, puta post gratiam Spiritus Sancti in baptismo acceptam, commissum. Porro, Gelasius Papa, *De Anathematibus vinculo*, peccatores, qui nec in hoc, nec in futuro seculo absolvuntur, eos duntaxat intelligit, qui peccatores permanent, neque respicere volunt: « Ipse enim, inquit, in se insolubilem fecit esse sententiam, qui talis permanere delegit, qualis veraciter non potest absolvi. »

Quinto, S. Cyprianus, lib. VII *Ad Quirinum*, Quinto, num. 23, « blasphemiam in Spiritum Sanctum ait esse omne peccatum in Deum commissum; blasphemiam vero in Filium hominis, esse omne peccatum in hominem perpetratum. »

Sexto, Idem S. Cyprianus, lib. III, *epist. 14*, *Sexto*, blasphemiam in Spiritum Sanctum censet esse negationem fidei in persecutione.

Septimo, Richardus de S. Victore, tract. *De Blasphemia in Spiritum Sanctum*, ait esse odium et convicium Dei. Octodecim Patrum expositiones,

Vers. XI. Luc. XII, 40; Mar. III, 28, 29. Blasphemia in Spiritum Sanctum que?

Prima sententia

Secunda.

Tertia.

Quarta. Quinam peccatores nec in hoc, nec in futuro seculo absolventur

Quinta.

Sexta.

Septima.

scilicet undecim Patrum Latinorum, et septem Græcorum sigillatim recenset Toletus in cap. XII *Lucæ*, annotat. 17, quas universas ego, septem jam recensitis, summam complexus sum.

Octava. Denique Theologi (et ex iis Catechiste) ex variis S. Augustini expositionibus colligunt sex peccata in Spiritum Sanctum, scilicet presumptionem, desperationem, agnite veritatis impugnationem, fraternæ charitatis invidiam, impenitentiam et obstinationem, hæcque dici aiunt peccata in Spiritum Sanctum, quia fiunt ex infirmitate contra bonitatem Dei, que appropriatur Spiritui Sancto: sicut peccata, que fiunt ex infirmitate dicuntur fieri contra Deum Patrem, quia illi appropriatur potentia; et que fiunt ex ignorantia, dicuntur fieri contra Filium, quia illi appropriatur sapientia. Hæc vera sunt, sed hæc loco non congrunt suntque impertinentia.

Nota: ergo Christum hic non loqui de omni peccato in Spiritum Sanctum, sed solum de blasphemiam in Spiritum Sanctum: que verbis fit (eadem tamen cogitationis et operum est ratio), cum scilicet quis calumniarum opera manifeste divina et miraculosa, ac pia et sancta Dei, ad salutem hominum ab eo facta, quibus ipse fidem et veritatem confirmat, uti est ejectionis demonum, que cum sint opera bonitatis et sanctitatis Dei, attribuitur Spiritui Sancto, qui ex vi processionalis et spirationis sui a Patre et Filio procedit, ut amor, bonitas et sanctitas: cum, inquam, quis hæc calumnias, eaque scienter ex malitia adscribit spiritui immundo, puta diabolo, ut faciebant hi Pharisei, tunc dicitur committere blasphemiam in Spiritum Sanctum; talis enim directe injuriatur Deo, illique adimit suam sanctitatem et munditiam, que appropriatur Spiritui Sancto, adeoque ex Deo facit diabolum. Id enim recte hæc ratiocinatione concluditur:

Auctor miraculorum que patrat Christus, juxta vos, o Scribae, est Beelzebub:

Atqui Deus et Spiritus Sanctus revera est auctor horum miraculorum:

Ergo secundum vos, Deus et Spiritus Sanctus est Beelzebub:

Quo quid atrocis dici potest? que blasphemia major et injuria in Deum excogitari? Ita S. Hieronymus, S. Chrysostomus, S. Ambrosius, locis citatis; S. Athanasius, tract. *De Blasphemia in Spiritum Sanctum*; S. Pacianus, *epist. 4*; S. Basilus in *Regul. brevior. interrog. 273*; Jansenius, Maldonatus, Toletus, Franciscus Lucas et alii passim. Addit S. Basilus: Tales etiam sunt, qui fructus et actiones Spiritus Sancti adscribunt contrario spiritui immundo. Id quod plerique faciunt, inquit, dum strenuum appellamus ambitiosum, et ei qui justa indignatione et zelo movetur, iracundiam calumniam impingimus, et ad eundem modum alia, iniquis adducti suspicionibus, ementitis nominibus de aliquo dicimus.

Syllogismus Christi in Scribis.

Porro, opponit Christus hanc blasphemiam in Deum et Spiritum Sanctum blasphemiam in Filium hominis, qua nonnulli humana conversatione et convictu Christi offensi, facta ejus humana calumniabantur, vocantes eum vini potatorem, amicum peccatorum et publicanorum, eo quod viderent Joannem Baptistam abstinentium, rigidum, austera et solitaria agere vitam: que proinde excusabilior erat et minus venia indigna, quia hominem tangebatur, non Deum.

NON REMITTITUR. — Arabicus: *Non relaxabitur*, id est difficulter et raro remittetur et relaxabitur. Est enim hæc blasphemiam in Spiritum Sanctum atrocissima, inexcusabilis, et plene venia indigna, ac, quantum est in seipsa, omnem medicinam et modum perveniendi ad remissionem aufert et excludit: opponit enim se directe et ex diametro Spiritui Sancto, eumque a se abigit, imò blasphematur Spiritum Sanctum, inquam, a quo solo absolvi, curari et sanctificari poterat et debebat. Simili phrasi vocamus morbum incurabilem illum, qui medicinam non admittit, et cibum omnem respuit. Blasphemus tamen non claudit manus Deo, quin ejus subinde licet indigni misereatur, eumque convertat, uti convertit S. Paulum, qui se blasphemum in Deum fuisse confitetur, I *Timoth. 1, 13*.

32. ET QUICUNQUE DIXERIT VERBUM CONTRA FILIUM HOMINIS, REMITTITUR EI; QUI AUTEM DIXERIT CONTRA SPIRITUM SANCTUM, NON REMITTITUR EI NEQUE IN HOC SEculo, NEQUE IN FUTURO. — Idem dicit et verbum clarioribus et gravioribus verbis. « Verbum (aliquod injuriosum, probrum, blasphemum) remittitur ei, » remissibile est, et penitenti facile remittitur. Hinc patet contra Novatianos, lapsos quoslibet in peccata enormia, admittentes esse ad penitentiam.

QUI AUTEM DIXERIT (verbum injurium et blasphemum) CONTRA SPIRITUM SANCTUM, NON REMITTITUR EI NEQUE IN HOC SEculo, NEQUE IN FUTURO. — Syrus: *Quisquis autem in Spiritum sanctitatis obloquetur, non remittetur ei, nec in hoc seculo, nec in seculo futuro*.

Hic primo damnatur Origenes, lapsis omnibus penitentiam, veniam et salutem concedens post hanc vitam. Dicebat enim post magnam Platonis unam omnia restituisse fore in integrum, ut et Judas salvetur, et Lucifer cum dæmonibus et damnatis omni restituatur.

Secundo, S. Augustinus, lib. XXI *De Civit.*, XXIV; S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, XXXIX; Isidorus, Beda, S. Bernardus et alii apud Bellarminum, lib. II *De Purgat.*, cap. IV, ex hoc loco evincunt esse purgatorium post hanc vitam. Vanum enim et otiosum esset dicere: « Non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro, » si in futuro quod diceret, omnino non ducam uxorem, nec in hoc seculo, nec in futuro, cum in futuro nulla dueli possit uxor. Licet enim Marcus, III, 29, nude

Vers. 32. Luc. XII, 10; Mar. III, 29, 30.

Errat Origenes.

Illic purgatorium vincitur.

dicat: « Non habebit remissionem in aeternum, » tamen Matthaeus diserite et expresse explicat, dividitque aeternum in duas partes, scilicet in praesens saeculum et futurum. Addit Marcus, dictumque aggravat: « Sed reus erit aeterni delicti. » Porro, mortalia peccata in purgatorio expiantur quoad poenam duntaxat, venialia vero quoad culpam et poenam simul.

33. AUT FACITE ARBOREM BONAM, ET FRUCTUM EJUS BONUM; AUT FACITE ARBOREM MALAM, ET FRUCTUM EJUS MALUM; SICUTQUE EX FRUCTU ARBOR AGNOSCITUR. — Arabicus: *Aut ponitis arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut arborem malam, et fructum ejus malum, etc.*

Est argumentum quintum Christi, idque connotum, et, ut ait S. Hieronymus, ἀπαρτος, id est inevitabile. *Primo* et plane arbor haec est Christus. « Facite, » id est statuite, decernite, asserite; *q. d.* Aut me simul cum operibus meis, quae vobis laudabilia videntur, probate et laudate; aut me tanquam arborem malam cum operibus damnatis; *q. d.* Vos, o Pharisei, mea opera laudatis, et tamen me eorum auctorem damnatis. At si opera laudatis, et auctorem laudare debetis. Aut si hunc damnatis, et opera damnare debetis, alioqui dicitis ἀδικαίαι et contraria: quare cum opera mea non possitis culpae, sed cogamini ea probare, fateamini me bono spiritu agi. Ita S. Hilarius, Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius.

Secundo, S. Hieronymus per arborem accipit diabolum, cui scribae tribuunt opera et miracula Christi, *q. d.* Si opera mea laudatis, ergo et diabolum, cui ea ascribitis, laudare debetis, quod est absurdissimum.

Tertio, S. Augustinus, scrip. 12 *De Verbis Domini*, et Maldonatus, per arborem accipiunt ipsos Phariseos, *q. d.* Si vultis esse et haberi boni, bona opera facite, scilicet bonos et bona laudate: si enim mala facitis, uti revera facitis, cum me meaque divina opera damnatis, malos et improbos calumniatores vos esse fateamini oportet. Ex calumniis enim cognoscitur calumniator, sicut ex fructu arbor. Unde sequitur: « Progenies viperarum, » etc. Omnes hi sensus sunt probabiles, et eodem redeunt. Hinc morale documentum colligit S. Augustinus: « Prius, ait, mutandus est homo ut opera mutantur. Si enim manet homo in eo quod malum est, bona opera habere non potest; si manet in eo quod bonum est, mala opera habere non potest. »

34. PROGENIES VIPERARUM, QUOMODO POTESTIS BONA LOQUI, CUM SITIS MALI? EX ABUNDANTIA ENIM CORDIS EOS LOQUITUR. — Vocat Phariseos vipers, aequae Joannes Baptista, cap. III, 7, ob causas ibi dicitur; sed hic proprie, eo quod quasi viperæ vipers profert sermones et calumnias, quibus Christum infamare, et e medio tollere conabantur. Habebant enim cor viperinum, id est plenum veneno invidiae, superbiae, malitiae et odii in Chris-

tum, quod vipersas et lethiferas calumnias has eructabat.

EX ABUNDANTIA ENIM CORDIS (id est, ex eo quod in corde abundat, quod saepe cor volvit, cogitat, amat) OS LOQUITUR. — Si cor, id est mens et voluntas, abundet bonitate et claritate, loquitur bona et amorosa; si felle malitiae et invidia, loquitur fellea, livida et mordacia, ut vos contra me facitis, o Pharisei. Sicut enim stomachus eructat id quod comedit, adeoque a halitu et rectu cognoscis, quid quisque comederit; qui enim comedit allia, olet allia; qui vinum bibit, olet vinum, etc.: sic pariter ex ore cognoscitur cor, puta ex loquela mentis affectus. Unde S. Chrysostomus: « Si dicta ab istis, inquit, ita sunt mala, quantum, putamus, habebant in corde malitiae, ubi solus Deus est testis! Quare cum audieris hominem male loquentem, multo ampliore aestime nequitiam, quam verba demonstrant. Quod enim exterius dicitur, est superfluentia ejus, quod intus est, in quo vos vehementer teligit. Si enim quod dictum est ab eis ita est malum, excoigata radix verborum quam magna est! » Vis ergo scire quid quisque habeat in corde, et quis affectus in eo abundet, vide quid loquatur, quid crebro in ore habeat, hoc enim abundat in corde, et ex corde in os eructat.

33. BONUS HOMO DE BONO THESAURO PROFERT BONA, ET MALUS HOMO DE MALO THESAURO PROFERT MALA. — Explicat abundantiam cordis per thesaurum. id est acervum et cumulum. Bonus ergo homo de bono acervo bonarum cogitationum et affectionum, quas in mente concervat et accumulat, profert bona verba et opera; malus vero de malo thesauro et cumulo malarum affectionum, profert mala verba et opera. Audi S. Chrysostomum: « Vel ipsos Judaeos Deum blasphemantes ostendit, de quali thesauro blasphemiam proferant. Vel cum superiore questione heret sententia, quod quomodo non possit bonus homo proferre mala, nec malus bona, sic non possit Christus mala, nec diabolus bona opera facere. »

36. DICO AUTEM VOBIS, QUONIAM OMNE VERBUM OTIOSUM, QUOD LOCUTI FUERINT HOMINES, REDDENT RATIONEM (Arabicus, *responsum*) DE EO IN DIE JUDICII. — Reddent rationem Christo iudici, id est, Christus ab eis exigit rationem verbi otiosi, quam quia reddere non poterunt (otiosum enim est, quod sine causa dicitur), hinc ab eo punientur. Est catachresis et metalepsis, patet ex vers. seq. Ita S. Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus et alii. Est Hebraea syntaxis. Hebraei enim ponunt relativum cum suo antecedente in nominativo: « Omne verbum otiosum, » id est de omni verbo otioso reddent rationem. Sensus est, *q. d.*, ait S. Hieronymus: « Si otiosum verbum, quod nequaquam edificat audientes, non est absque periculo ejus qui loquitur, et in die iudicii reddet unusquisque rationem sermonum suorum; quanto magis vos, qui opera Spiritus Sancti ca-

tumini, et dicitis me in Beelzebub ejicere demonia, redditori estis rationem calumniae vestrae! » Rursum sicut otiosum verbum, sic et otiosa cogitatio, volitio, actio quaelibet est peccatum, saltem veniale.

Quaeres, quodnam est verbum otiosum? Graece ἀργόν, quasi ἀργόν, id est iners, sine arte et opere, carens fructu et utilitate. *Primo*, Theophylactus et Euthymius « otiosum » vertunt calumniatorum.

Hauserunt hoc ex S. Chrysostomo, qui ait: « Otiosum verbum est, quia mendax est, quia calumniam habet. » Addit tamen: « Quidam dicunt: Quoniam et vanum, quale est quod risum movet inordinatum, vel turpe, vel verecundum. »

Secundo, et genuine verbum otiosum est vanum, frivolum, ludicrum, quod nec loquenti, nec audienti utilitatem affert, etiamsi nulli sit noxium nec in se reprehensibile. Ita S. Hilarius verbum otiosum interpretatur « neptum et inutile. » S. Hieronymus: « Otiosum verbum est, inquit, quod sine utilitate et loquentis dicitur, et audientis, si ommissis seriis de rebus frivolis loquamur et fabulis narremus antiquas. Ceterum qui scurrilia replicat et cachinnis ora dissolvit, et aliquid profert turpitudinis, hic non otiosus verbi, sed criminosis tenetur reus. » S. Gregorius, hom. 6 in *Evang.*, sub finem: « Otiosum, inquit, verbum est, quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione juste necessitatis caret. Otiosa ergo colloquia ad edificationis studium veritate: quam celerrime lupus vitae tempora fugiant, considerate: quam districtus veniat iudex, attendite. » Idem, III parte *Pastor.*, admon. 13: « Otiosum, ait, verbum est, quod aut ratione juste necessitatis, aut intentione pie utilitatis caret. » S. Bernardus, serm. *De Triplici Custodia manus, lingue et cordis*: « Otiosum, ait, verbum est, quod nullam rationalem causam habet: quam rationem de eo reddere poterimus, quod est praeter rationem? Nemo nostrum, fratres, parvi aestimet tempus quod in verbis consumitur otiosis. Si quidem tempus acceptabile est, et dies salutis. Volat verbum irrevocabile. Volat tempus irremediabile, nec advertit insipiens quid amittat. Libet confabulari, aiant, donec hora praeterat. O donec praeterat hora! o donec praeterat tempus! Donec hora praeterat, quam tibi ad agendam penitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio Conditoris indulget; donec transeat tempus, quo divinam tibi repropitiare debeuras pietatem, proferare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hereditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissionem voluntatem, flere commissam iniquitatem. » Verbum ergo otiosum, teste S. Bernardo, est quod caret rationabili causa. Tale igitur non est quod festive dicitur ut afflictos soletur, vel aegros masticosque exhalaret; aut quod prudentiam humanam decet, ut cum narantur dicta vel facta aliorum eo fine, ut ex his pruden-

ter agere et loqui discamus. Ulterius S. Basilium, ut verbum non sit otiosum, requirit piam intentionem. Verum loquitur religiosus, quorum professio est pia tractare et loqui: « Otiosum verbum est, inquit, quod ad propositum in Domino usum, hoc est, ad edificationem fidei non facit: tale enim contristat Spiritum Sanctum. » Sicut enim hominis est juxta normam recte rationis, et Christiani juxta legem Christi; sic religiosus est juxta dictamen religionis et pietatis agere et loqui. Unde S. Bernardus, *De Consider.*: « Consecrasti, ait, os tuum Evangelio, jam talibus (iudicis) aperire illicitum est, assensere sacrilegium. »

Primo ergo, absolute non requiritur pia intentio, ne sit otiosum, sufficit ut quomodolibet condeat ad usum et prudentiam humanam. Sic:

Naviga de venis, de bobus narrat arator:

alioqui enim fore omnia opificum, mercatorum et saecularium verba esset otiosa. Hoc dictum sit de actu in specie, nume dicitur de sermone et actu individuo.

Secundo ergo, Gabriel Vasquez, I II, *disp.* 52, in fine, docet verbum otiosum non esse illud, quod profertur hoc fine duntaxat, ut infirmitati alicui vel indigentiae naturae consulatur, v. g. si in frigore tantum ob naturae indigentiam quis dicat: Ego frigeo, cupio ignem, ut frigus sensum a me depellam. Censet enim ipse dari actum in individuo indifferente, qui scilicet nec bonus sit, nec malus, puta, cum eo appetitur aliquid ad commodum et exigentiam naturae. Idem docet Bonaventura et Scotus, in II, *Distinct.* 41; Occam, in III, *Quaest.* XIII; Gabriel et Almainus, tract. 2 *Moral.*, cap. XIV.

Verum id negat D. Thomas, I II, *Quaest.* XVIII, art. IX, ejusque sequaces; item Durandus, in II, *distinct.* 40, *Quaest.* I; Ariminenis, in II, *distinct.* 38, et alii passim. Cum quibus dicendum est, otiosum in particulari actum (sive cordis, sive oris, sive membrorum ceterorum: eadem enim volitionis et actionis est ratio, quae verbi et locutionis) esse omnem illum qui non refertur ad bonum rationis, puta ad bonum aliquod honestum. Ergo cum dicis: Ego fameo, ego frigeo, detur mihi cibus, aereur ignis; ut hic actus et sermo non sit otiosus, sed honestus, debes illum explicite vel implicite referre ad aliquem finem honestum, scilicet ad hoc ut melius studeas, orare, aliaque tua officia obire et Deo servare vacas. Multo magis actus et sermo otiosus est, si dicas: Ego hoc ago, vel loquor solum ideo, quia mihi placet, vel quia ista actio vel sermo me delectat. Haec enim actio et sermo caret debito suo fine, aequae ac mensura, ideoque otiosa est: delectatio enim non est regula nostrorum actionum; unde eam adhibere tanquam regulam, est contra rectam rationem, ac proinde malum, saltem veniale. Quare malum est velle quid ob solam delectationem, praesertim quia contra ins-

Non requiritur absolute pia intentio, ut verbum sit otiosum.

Actus, ut sit otiosus, debet referri ad bonum honestum.

stitutionem delectationis est, appetere illam propter se: nam instituta est ipsa ob aliud, nimirum ob operationem cui conjungitur, ordinatur ergo ad majus bonum.

Ratio a
ratio
Ratio a priori horum omnium est, quod homo, qua homo, sit animal rationale, quod proinde in omnibus juxta rationem vivere, agere et loqui debet. Regula enim et mensura actionis et vite illi data a natura et Deo, est recta ratio, quam in omnibus sequi debet. Ergo inordinatum est, ut homo adhibeat ad operationes suas aliam mensuram et regulam, quam judicium recte rationis, v. g. delectationem, sanitatem, commodum naturæ, aut quid simile. Confirmatur primo, quia, licet bonum naturale multum conferat naturæ, tamen ab homine non est expectandum per se, sed referendum est ad bonum rationis, quod proprie est bonum hominis, ut homo est, quodque ad finem hominis est utile: nam bonum naturæ conveniens vel delectabile non est per se honestum, sed ex accidenti. Confirmatur

secundo, quia homo, qua rationalis est, tenetur operari secundum dictamen rectæ rationis; hoc autem dicitur homini non nisi bonum honestum esse amandum et prosequendum. Ratio enim est quasi lucerna totius hominis et omnium operationum ejus, ut ait Christus, *Matth. vi, 22*. Sicut ergo qui in tenebris ambulat sine prævia lucerna, se periculo offendendi exponit; sic et qui operetur sine prævio dictamine rationis, ideoque peccat. Confirmatur tertio, quia qui sic vult et operatur, exponit se periculo errandi; nam non videtur recta regula rationis: unde ex vi talis voluntatis posset velle quod inhonestum est, ut servare vitam, quando pro fide est profundenda, oblectare se illa re, vel illo modo, loco et tempore, qui lege est vetitus. Denique talis appetitio est otiosa, quia nihil confert ad finem ultimam vite humanæ comparandum.

Secundo, hæc otiositas verborum, cogitationum et operationum est quedam prodigalitas temporis et actionum humanarum, quæ, cæteris paribus, major est quam opum et fortunarum. Mollicium enim vite tempus nobis datum est a Deo d comparandum beatam æternitatem, et singulis ejus momentis bene cogitando, operando, operando, possumus maximos beatitudinis et gloriæ gradus et thesauros nobis comparare, quos omnes prodigius per otiositatem verborum et operum, uti recte annotavit S. Bernardus, verbis supra citatis: tempus enim semel otiose elapsum est irrevocabile et irreparabile, ut mirum sit tempus tam pretiosum adeo otiose a multis transigi et rebus vilibus nugisque impendi.

Tertio, quia quisque tenetur omnia sua facere et dicere faliter, ut apta sint ad Deum referri, nimirum ut apta sint, quibus illi placeamus et obediamus, juxta illud Apostoli: «Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.» I Cor. x, 31. Alioqui sunt

otiosa, id est inutilia ad finem hominis. Ad hoc autem requiritur ut recta ratione dirigantur, ut sint honesta. Omne enim et solum honestum Deo placet.

Quarto, quia Deus nobis os dedit, ut eum oremus et laudemus; utque ea, quæ nobis vel proximis sunt utilia et salutaria, loquamur; qui ergo otiosa et inutilia loquitur, ore suo abutitur, præter mentem et institutionem Dei: «Neque enim, ut ait S. Ambrosius, serm. 22 in *Psalm. cxviii*, parvi periculi est de rebus secularibus et otiosis loqui, cum tam mirabilia Dei opera habeamus, de quibus loquamur. Ac proinde statuit justus apud se cum S. Davide: «Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas;» sique otiose omnia a se excludat.

Ex dictis liquet, a plerisque hominibus plurima dici et agi otiosa, de quibus Deo reddenda eis erit ratio. Quare, primo, ut huic malo remedium opponant, discant et assuescant nil agere et loqui, nisi præmeditatum et prius a ratione expensum; secundo, assuefaciant se loqui parce, ne signis de rebus bonis et salutariis; tertio, ad aliquot dies mentem colligant, ac vite suæ actiones, rationes, fines et intentiones considerent serio, ut si prave vel otiose sint, eas corrigant, et toti vite suæ omnibusque suis actionibus debitum finem præscribant, ut in omnibus intendant Dei gloriam ac suam salutem et perfectionem, atque ad utrumque ordinent omnes suos sermones et actiones. Porro, hæc intentionem quotidie manere concipiant, Deoque offerant, illamque per diem sæpius renovent, ut ita habitum induant omnes illas ad hunc finem referendi; ex quo deinceps semper virtualiter saltem ad illum referantur, etiamsi actu de eo non cogitent. Intentio ergo bona mutat sermones et actiones, ut ex indifferentibus et otiosis fiant honeste, sancte et meritorie cælestis gloria. Vide dicta cap. ix, 22. Cassianus, lib. V *De Institut. remanent.*, cap. xxix et xxxi, refert Machetem abbatem, qui, cum otiosa narrarentur, incidebat in somnum, cum spiritualia, evigilabat, dicitur autem otiosorum sermonum esse diabolum, idque hæc experientia comprobasse. Disserens enim de rebus spiritualibus, vidit plerosque omnes indormiscere; mox otiosam narrans fabulam, vidit omnes evigilare; unde ingemiscens: «Quis, ait, hujus rei est auctor, nisi ille cui otiosa placent, spiritualia displicent; qui illis adgaudet, hæc impugnat, nimirum diabolus?»

37. EX VERBIS ENIM TUIS JUSTIFICABERIS, ET EX VERBIS TUIS CONDEMNABERIS. — Arabicus: *Judicium dabitur contra te; q. d.* Non solum operum, sed et verborum magna habenda est cura, et tam horum, quam illorum Deo reddenda erit ratio, quia utraque sunt fructus ejusdem arbitrii, id est voluntatis bonæ vel malæ: quare verba tua non minus quam opera te vel justificabunt,

si sint justa et sancta; vel condemnabunt, si sint prava et perversa: justificabunt, inquam, id est non tantum justum te declarabunt, sed et justum vel justorem efficiunt, si ex Dei amore vel compunctione profiteantur; condemnabunt vero et reum pœne efficiunt, si sint otiosa, luxuriosa, calumniosa, rixosa, etc. Vide que de commodis et noxiis dixi *Ezech. xxviii, 29; Proverb. xxi, 23; Jacobi iii, 2* et seq. Damna enim a Christo in die judicii non solum ob peccata mortalia, sed etiam venialia, punientur, sed pro gravitate et merito cuiusque gravius vel levius.

38. TUNC RESPONDERET EI QUIDAM DE SCRIBIS ET PHARISEIS, DICENTES: MAGISTER, VOLUMUS A TE SIGNUM (de celo, ut addit Lucas, xi, 46,) VIDERE. — Fuerunt hi ex illis qui calumniati fuerant Christum ope Beelzebub ejicere demones, ut patet ex Luca, xi, 46; hi enim refutati a Christo, cum nolent videti victi et convicti; instant, ut id ipsum signo, id est miraculo aliquo cælesti confirmet, q. d. Tu dicis te op. Dei, non demonis, patrare miracula. Si ita est, fac ut Deus et celo testetur id verum esse, signo aliquo cælesti, quo significet te ab eo missum ideoque ejus virtute ejicere demones. Verum eis sufficere debebant tot morborum sanationes, tot mortuorum suscitationes factæ a Christo hoc fine, ut ostenderet se esse Messiam a Deo Patre missum; sed incredulis et calumiosis nil sufficit, ac dato uno per effugium aliud et aliud sine fine postulant. Sansus ergo est, q. d. Tuas, o Christe, miracula in terra terrena sunt; at nos volumus videre in celo cælestia; in celo enim habitat Deus, quem tu auctorem tuorum miraculorum esse asseveras. Fac ergo ut ignis de celo descendat, uti fecit Elias, III *Reg. xviii*; vel ut colum novis mirisque tonitruis et fulminibus coruscet, uti fecit Samuel, I *Reg. vii, 40*; aut ut sol suo loco consistat, uti fecit Josue, cap. x, 13. Ita S. Hieronymus. Tacite ergo Christi miracula in terra facta, quasi demonis præstigia perstringunt, tentantque Christum, ut calumnientur. Etsi enim simile in celo signum edidisset, illico aliud effugium quæsisset, aliudque nersus signum requisissent. Hoc enim est curiosorum et cavillatorum ingenium, sed maxime infidelium et hereticorum.

39. QUI RESPONDENS, AIT ILLIS: GENERATIO MALA ET ADULTERA SIGNUM QUERIT; ET (id est sed) SIGNUM NON DABITUR EI, NISI SIGNUM JONÆ PROPHETÆ. — «Generatio» (Græco γενεα, id est natio, gens) «adultera», id est infida et infidelis, quia relicto Deo sponso, qui olim in circumcisione se descendit, adheret demoni ejusque suggestioni: hinc infidelitas et idololatria ab Ezechiele, cap. xvi, et aliis, sæpe vocatur adulterium. Ita S. Hieronymus, S. Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus, qui ait: «Adulteram generationem vocat, quia descebat a Deo, et adherabat demoni.» Secundo, «adultera», id est adulterina et degener a fide et moribus Abraham, Isaac et

cæterorum Patriarcharum: illi enim crediderunt in Messiam, hi præsentem et tot miraculis probantem se esse Messiam, agnoscere nolunt. Messias enim erat sponso Synagoge Judæorum, et nunc est sponso Ecclesie Christianorum, ut patet *Ephes.*, cap. v, 32. Ita Barradius, Maldonatus, Franciscus Lucas et alii. Sic enim Hebræi בני בעה נעחר, id est filius alienus, vel potius alieni, scilicet patris, puta adulteri, vocant spurios, id est degeneres.

ET SIGNUM NON DABITUR EI, NISI SIGNUM JONÆ PROPHETÆ. — q. d. Prava hæc Judæorum natio poscit a me signum de celo, sed ego non dabo ei nisi signum de terra, hoc est de profundo, non de sublimi, ait Glossa Interlinearis, passionis et sepulture per tres dies, nonglorie, quod tamen continetur in signum cælesti, scilicet in resurrectionem, quæ facta est virtute cælesti, et postquam Christus gloriose in celum ascendit; q. d. Non assignabo Judæis aliud signum, quam quod olim assignavi, *Joan. ii, 19*, dicens: «Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud: ille autem dicebat de templo corporis sui.» Signum JONÆ est resurrectio Cur? scilicet signum resurrectionis, quod est signum JONÆ prophetæ, quia in Jona fuit prefiguratum et reipsa prophetatum. Hoc enim clare ostendit, quis ego sim, cur mortuus, cur crucifixus, in quo ipsi scandalizant: nimirum, quod ego sim Messias mortis et peccati domitor, mundi salvator, ac cœli terræque Dominus. Custodes enim sepulchri nuntiarent Judæis Christum et sepulcro resurrexisse, ac ipsi Judæi viderunt sepulchrum vacuum, et Apostoli Christi resurrectionem multis miraculis comprobarent. Quocirca multi Judæi tunc, et postea omnes gentes in Christum jam redivivum crediderunt. Judæi enim expectabant Messiam non humilem et pauperem, sed divitem et gloriosum: talem autem viderunt Christum in resurrectione, ascensione et missione Spiritus Sancti: unde tunc eum agnovissent et quasi Messiam receperunt, juxta illud Christi, *Joan. viii*: «Cum exaltaveritis Filium hominis (in cruce), tunc cognoscetis quia ego sum,» nam e cruce et morte gloriolus resurgam. Judæi vero increduli ipsum esse Messiam, tunc pariter coacti, cognoverunt, quia Christus post resurrectionem et celo misit Titum et Vespasianum, qui Jerusalem et Judeam exciderunt ob necem injuste sibi a Judæis illatam. Ita S. Chrysostomus. Tunc enim plenum fuit signum excidiorum, quod usque nunc durat et durabit usque ad finem mundi; quod, si non nisi ob summum scelus, scilicet ob Christidicium et Deicidium Deus justus et vindex eis irrogavit. Hoc ergo excidium signum est clarissimum Jesum ab eis occisum, fuisse Messiam sive Christum. Unde Christus, vers. 41, hoc signum JONÆ affert, quasi signum condemnationis Judæorum per Ninivitas, qui crediderunt JONÆ et penitentiam egerunt, qui crediderunt JONÆ et penitentiam egerunt, qui crediderunt JONÆ credere noluerunt, ideoque ex-cum Judæi Christo credere noluerunt, ideoque excisi et damnati sunt. Quocirca Maldonatus censet

Christum Judæis petentibus signum de celo ad ostentationem, dare signum de terra ad eorum condemnationem: sic enim dolose petentes signum decebat ab eo retundi et confundi.

40. SICUT ENIM FITI JONAS IN VENTRE CETI TRIBUS DIEBUS, ET TRIBUS NOCTIBUS: SIC ERIT FILIUS HOMINIS IN CORDE TERRE TRIBUS DIEBUS, ET TRIBUS NOCTIBUS. — In corde, id est in imo terre, hoc est intra terram, sicut cor est intra corpus hominis; quia Christus in cruce mortuus quoad corpus positus fuit in sepulcro, quoad animam descendit in limbum Patrum, qui est juxta centrum terre. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, S. Irenæus, lib. V, cap. XXXI; Tertullianus, lib. De Anima, cap. LV, et alii.

Quæres, quomodo Christus tribus diebus et noctibus fuerit in sepulcro et limbo? nam sola nocte Sabbati et Dominicæ in eo fuit, et illico in aurora resurrexit. *Primo*, Alcuinus, lib. De Divinis Officiis, cap. De Cena Domini; et Paulus Forster, proculensis, teste Marcello, lib. De Horis canonicis, cap. I, ex hoc loco colligunt Christum jacuisse in sepulcro tres integros dies et noctes, hoc est 72 horas, ac consequenter resurrexisse in fine ferie secundæ. Verum hic certus est error. Communis enim Ecclesiæ traditio et sensus est Christum resurrexisse in die Dominicæ, idque patebit Matth. cap. ult., vers. 4.

Secundo, Gregorius Nyssenus, orat. 1 et 2 De Resurrectione, hos tres dies computat a feria quinta, sive a die Jovis; putat enim ipse, quod, dum illo die vespere Christus instituit Eucharistiam, seipsum sub speciebus panis et vini Deo immolavit per sacrificium incrementum, animam Christi separatim fuisse a corpore, sicut fiebat in immolationibus boum, quando Deo sacrificabantur et mactabantur, sed id factum esse arcanæ et invisibili ratione; tumque animam Christi ivisse ad inferos, sicque prevenisse mortem suam, quam postidie, scilicet die Veneris sancto, Judæi in cruce ipsi visibilibus erant illaturi. Sed et hic est error. Nam anima Christi viventis realiter est in Eucharistia, puta in suo corpore et sanguine sub speciebus panis et vini contento; est, inquam, ibi, non quidem ex vi verborum consecrationis, sed per naturalem concomitantiam: Christus enim in Eucharistia est animatus et vivus, sicut est extra eam, ut definit Concilium Tridentinum, sess. XIII, cap. II. Secus fuisset, si S. Petrus, vel quis alius apostolus celebrasset et consecrasset Eucharistiam in triduo passionis et mortis Christi: tunc enim Christi corpus et sanguis fuissent in ea separata ab anima, quia sic revera erant in ipso Christo jam sepulto. Erat enim tunc Christus mortuus, non vivus.

Testis. Vere dico ergo *tribus diebus et tribus noctibus*, hic tantum esse periphrasin et descriptionem diei naturalis, sive usualis. Hujus enim duæ partes in grandes sunt dies et nox, sive lux et tenebræ:

utitur vero illa periphrasi Christus, quia eadem usus erat Jonas ejus antitypus, cap. II, vers. 1; et nec tres hosce dies intelligeret artificiales, qui opponuntur noctibus, quasi per tres dies, quibus lux est et sol est supra horizontem, Christus fuerat in sepulcro: hoc enim falsum est. Jam vero tres hosce dies naturales accipe non integros, sed partiales per synecdochen, scilicet partem ultimam diei Veneris, qua Christus de cruce depositus sepultus est, totum Sabbatum, ac partem diei Dominicæ; nam illius aurora elucescente resurrexit. Hebræi enim, licet dies civiles ab uno solis ortu ad alterum numerarent, uti et faciunt Chaldæi et Persæ, teste Beda De Notione Temporum, idque colligitur ex Genes. 1, 5; tamen dies sacros (qualis hic erat Pascha, et dies azy-morum, quibus Christus passus est et resurrexit) computabant a vespere in vespem. Ita hosce tres dies explicant et adaptant S. Hieronymus, Theophylactus, Euthymius et S. Augustinus, *epist. 6, Quæst. VI*, et passim interpretes. Hinc alibi passim simpliciter dicitur Christum resurrexisse tertia die, vel post tres dies, nulla facta noctis mentione.

Verum quia juxta hunc computum duæ tantum noctes reperiuntur, quibus Christus fuit in sepulcro, scilicet nox Sabbati et nox Dominicæ, hic autem discrete dicitur « tribus noctibus; » planius et plenius alii respondent hos tres dies et noctes computari more Romanorum, qui tempore Christi Judææ imperabant, et in civilibus suam Calendariam ibidem induxerant. Romani enim a media nocte in aliam diem computabant, uti et faciunt Christiani in festis et jejuniis. Testis est Macrobius, lib. I Saturni, cap. III; A. Gellius, lib. III, cap. II; Plinius, lib. II, cap. LXXVI, et alii. Hoc computa clarum est Christum fuisse in sepulcro tribus diebus et noctibus partialibus: sepultus est enim die Veneris ante solis occasum, mansitque in sepulcro usque ad mediam noctem, quæ pertinebat ad diem Veneris; inde a media nocte incipiebat Sabbatum, quo toto permansit in sepulcro per integrum diem et integrum noctem; successit dies Dominicæ pariter a media nocte, qua reliqua per sex fere horas permansit in sepulcro usque ad auroram, cum incepit lux et dies, in qua resurrexit, ita ut tota media nocte Dominicæ, et parte aliqua auroræ, sive dii et diluculi, Christus fuerit in sepulcro, donec aurora crescente, magisque illucescente resurrexit. Erat enim tunc Pascha circa æquinoctium, in quo dies æquales sunt noctibus, ac proinde noctes æque ac dies sunt duodecim horarum. Anima vero Christi illico, ut ipse in cruce expiravit hora nona, id est tertia pomeridiana, descendit ad limbum, mansitque ibi cum Patribus usque ad auroram Dominicæ. Porro, Judæos usos fuisse hoc computum Romanorum colligitur tum ex aliis, tum ex eo quod ipsi a castrensibus Romanorum horis et vigiliis acceperint quatuor

Quarto. Hinc.

Concedit diem et noctem computabant. Romanis.

*Variis agniti-
onis na-
tionibus
Est in-
tia.*

vigiliis noctis, ut patet Matth. XIV, 23 et alibi. Varia enim fuerunt diei apud varias gentes initia. Persæ et Babiloni diem numerabant ab ortu solis ad illum ejus ortum. Athenienses et Itali a solis occasu ad occasum. Astronomi a meridie in meridiem. Ægyptii tamen et Romani sacerdotes a media nocte in alteram mediam noctem, quæ consuetudo in Ecclesia Romana permansit. Ita Christophorus Clavius, in cap. II Sphæra, et Alexander ab Alexandro, lib. IV Genial., xx. Hebræi ergo tempore Christi Ægyptiorum et Romanorum, quibus subjecti erant, calculum sunt secuti. Quare Franciscus Lucas docet Judæos dies non festos a media nocte in mediam noctem computasse, uti faciunt Christiani. Ita a media nocte in mediam noctem hos tres dies computat S. Anselmus hic, Isidorus Pelusiota, lib. I, *epist. 114* et 212; D. Thomas, III *part., Quæst. XLVI*, art. IX, ad 1; Franciscus Suarez, III *part., Quæst. XLIII*, disp. XLVI, sect. 3, in fine, et Baronius anno Christi 34.

Denique voluit Christus tres dies manere in sepulcro, ut ostenderet se vere mortuum, ac consequenter se tertio die vere a morte resurrexisse. Ita Beda et Anselmus hic, et S. Augustinus, lib. IV De Trinit., cap. III, et serm. 181 De Temp. Plures alias hujus rei causas assignavi, *Osce* VI, 3, ad illa: « Vivificabit nos post duos dies. »

41. VIRI NINIVITE SURGENT IN JUDICIO CUM GENERATIONE ISTA, ET CONDEMNABUNT EAM: QUIA PENITENTIAM EGERUNT IN PREDICATIONE JONÆ: ET ECCE PLUS QUAM JONAS HIC. — *g. d. Ninivite*, qui cum suo rege Sardanapalo profeccerunt se in scelera, totosque se dederunt Veneri et ventri, cum audirent Jonam in illa detonantem et penitentiam munitantem, illi crediderunt et penitentiam egerunt: hic ergo in die judicii accusabunt et condemnabunt Scribas et Judæos, qui Christo Deo et Domino per tot miracula credere, et penitentiam agere noluerunt: condemnabunt, inquam, non tam verbis, quam factis, scilicet suo fidei et penitentie exemplo. Hinc tamen non sequitur Ninivitas fuisse salvatos, quia paulo post penitentiam redierunt ad vomitum: unde cum suo rege Sardanapalo ab Arbace Medo subacti et subjugati sunt. Jonas enim propheta vit sub Ieroboam, rege Israel, et Ozia, rege Juda, qui fuerat coævi Sardanapalo, et regnarunt paulo ante initia Romæ, cum Procus Sylvius, avus Romuli, regnaret in Latio, teste Eusebio in Chronico. Adde: post Jonam ad Ninivitas missus est Nahum, qui eos relapsos castigaret eisque exodium per Chaldæos intendaret: unde et ipsa excisi sunt a Nabuchodonosore, rege Chaldæorum. Vide dicta in proemio Jonæ et Nahum.

ET ECCE PLUS QUAM JONAS HIC. — Jonas enim erat propheta et servus; Christus vero Messias et Dominus. Jonas, in octo vivens, vivus egressus est; Christus ex morte et inferno resurrexit, et rediivus prodit. Jonas reuelans, et invitus; Christus sponte prædicavit. Jonas apud Ninivitas

fuit peregrinus; Christus fuit cognatus Judæorum. Jonas, subversionem Ninive comminatus est; Christus regnum celorum promisit. Jonas nonum fecit miraculum; Christus plurima. De Jonâ nullus, de Christo omnes Prophete valde testati sunt. Jonas vociferatus est: « Adhuc quadragesima dies, et Ninive subvertetur; » Christus per Apostolos clamavit: « Adhuc quadragesima annis, et Jerusalem evertetur et Tito. » Plures analogias Jonæ et Christi collegit Eusebius Emisenus, hom. 2 De Pascha, et S. Augustinus, *epist. 49, Quæst. VI*, quas recensui *Jonæ* II, 20.

42. REGINA AUSTRI SURGET IN JUDICIO CUM GENERATIONE ISTA, ET CONDEMNABIT EAM; QUIA VENIT A FINIBUS TERRE AUDIRE SAPIENTIAM SALOMONIS, ET ECCE PLUS QUAM SALOMON HIC. — Ægyptius, Regina Australis; Persicus, Regina Themanica: Theman enim Hebræis, indeque aliis Orientalibus Austrum significat; Æthiopiis, Regina Aseb. Videtur ergo nomen hujus regine fuisse Aseb, sumptum a loco regni, puta a Saba, *g. d. Sabea*. Ita aliqui suspiciantur. Verum dico: Aseb Æthiopia idem est quod latine Austri, uti Romæ mihi Æthiopes asseruerunt. Hæc est regina Saba, que est Australis Judææ, III *Reg., x*. Saba autem est Saba regio, etque duplex: una in vicina Arabia; altera in remota Æthiopia, ejusque Metropolis, que postea a Cambyse nomine sororis suæ dicta est Meroe, teste Josepho, lib. II Antiq., cap. x, et Strabone, lib. XVI. Hæc regina multis videtur potius ex Æthiopia Saba venisse, quam ex Arabia, quia Æthiopia est remotissima, et quia Josephus, lib. VIII Antiq., cap. II, vocat eam reginam Æthiopiæ et Ægypti. Unde postmodum fama Scripture et Dei veri Hebræorum apud Æthiopes permansit. Ex his enim venit Hierosolymam adorare Deum Hebræorum Eumuchus Candæis, regine Æthiopiæ, *Act. viii*. Reginas enim Æthiopiæ imperasse, et Candæas fuisse dictas, sicut Romani suos principes vocabant Cæsares, testis est Plinius, lib. VI, cap. XXXI. Imo Æthiopiæ sive Abyssinorum Imperator scribit se filium Salomonis. Tradunt enim Æthiopes reginam Saba ex Salomone quasi marito concepisce, indeque patos reges Abyssinorum, qui nunc Preter-Jannes dicuntur, licet hæc traditionem confutet Pineda, lib. V De Rebus Salomonis, cap. XIV, num. 8. Addeunt Abyssini reginam hæc Azob regnasce in Tigre, quod regnum est Abyssinæ amplissimum, ac filium ejus vocatum Menile, id est *similis*, hoc quod patri Salomoni esset similissimum. Ita hæc reginam ex Æthiopia venisse censent Euthymius, Jansenius, Maldonatus, Toletus, Baradius, Franciscus Lucas hic, et S. Augustinus, serm. 232 De Temp.; Nazianzenus, *orat. 40*; Nyssenus, *homil. 7 in Cant.*; Origenes, *hom. 1 in Cant.*, et alii. Verum alii probabiliter censent illam venisse ex Saba, que est in Arabia Felici, ubi sunt Homæritæ: in ea enim abundant aromata et aurum, æque ac cameli. Rursum dicitur hæc « venisse a

*Saba die-
plea.*

*Regi-
na Aus-
tri quæ-
dam, et
male ve-
nerit.*

Qua-
tum Ar-
bia Sa-
bra dis-
set a Hi-
rosoly-
mis.

sinibus terræ; tum quia Arabia Sabaa distat a Jerusalem 606 leucis gallicis, teste Adrichomio, in *Descript. Terræ sanctæ*, in Manasse; tum quia ipsa est extrema regio terræ ad mare Indicum, sive Arabicum, ibi enim finitur terra et incipit mare; hinc sepe in Scripturis vocatur terra longinqua, ut *Jerem. vi, Isaiæ XLIII*, et alibi. Unde Nicephorus, lib. VIII, cap. xxxv, ait Feliceum Arabiam esse Sabæam, ejusque fines ad extremum Oceanum pertingere. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Eucherius, Cæsarius, Salmeron, Pederius, Eugubinus, Cajetanus et alii, quos citat et sequitur, fuisseque probat Pineda, lib. V *De Rebus Salam.*, cap. XIV, n. 8 et sequent.

AUDIRE SAPIENTIAM SALOMONIS, ET ECCE PLUS QUAM SALOMON HIC. — « Hic, » id est ego; loquitur enim Christus de se in tertia persona modestiæ causa, *g. d.* Regina Saba credidit Salomoni, ac Judei mihi credere nolunt, quia sum longe major et sapientior Salomone, quia ista sum Messias eorum Dei-que Filius. Ergo regina ista suo facto in die iudicii condemnabit duritiam et incredulitatem Judæorum. Porro, comparatio hæc reginæ Saba cum Judæis magnas habet emphases, quas nervose exprimit Francisus Lucas: Mulier, inquit, Gentilis in schola Dei minime educata, regni vero amplissimi negotiis districta, fama sapientiæ, que de Salomone ferebatur, excitata difficillimum arripuit iter ex remotissimis terræ partibus Hierosolymam, ut ejus sapientiæ periculum faceret; quam admirata supra modum, licet non nisi de terrenis atque humilibus rebus disserteret Salomoni, consilia exempli illius: Judei vero legis divinæ alumni, sacris litteris addicti, Christum Dei virtutem ac sapientiam, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi, summum suum unicuique doctorem, regni cælorum æternæque salutis mysteria a sæculis abscondita, ac veram Dei sapientiam depromentem, ultro se offerentem, rogantem atque invitantem, non recipiunt imo rejiciunt plane, etiam dato illo resurrectionis gravissimo signo, quando sapientiam illam suam credentibus atque obedientibus sibi communicavit et impertivit: quare solus ipse admirandus est. Quantum ergo regina Saba antecelluit Judæis, ac quanto jure et pondere eis in die iudicii suam obstinationem, ingratitude, incredulitatem et inobedientiam Christus in faciem exprobrare poterit! Hoc exemplum reginæ Saba, æque ac prius Ninivitarum, diserte ostendit in die iudicii quemque pro mensura beneficiorum et gratiarum a Deo acceptarum, que ipse neglexit vel contempsit, acris castigandum a Christo iudice. Videant ergo sacerdotes, religiosi et ceteri qui gratis Dei abundant, ut iis recte et sedulo utantur; alioquin enim eo gravius punientur quo majores perceperunt: imo laici in die iudicii insullabunt iis, sicut et Gentiles Turceque Christianis, quod si illas habuissent, longe iis religiosius sanctiusque vixissent. Audiant S. Gregorium, hom. 9 in *Evang.*:

« Lectio S. Evangelii (de talentis cuique a Deo distributis), fratres, sollicite considerare nos admonet, ne nos, qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur ab auctore mundi, gravius inde judicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescant donorum. Tanto ergo esse humilior atque ad serviendum promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatorem esse conspicit in reddenda ratione. »

43. CUM AUTEM IMMUNDUS SPIRITUS EXIERIT AB HOMINE, AMBULAT PER LOCA ARIDA, QUERIT QUIETEM, ET NON INVENIT. TUNC DICIT: REVERTAR IN DOMUM MEAM, UNDE EXIVI, ET VENIENS INVENIT RAM VACANTEM, SCOPIS MUNDATAM ET ORNATAM: TUNC VADIT, ET ASSUMIT SEPTEM ALIOS SPIRITUS NEQUIORES SE, ET INTRANSES HABITANT IBI, ET FIUNT NOVISSIMA HOMINIS ILLIUS PEJORA PRIORIBUS: SIC ERIT ET GENERATIONI HUIC PESIMILE. — Hic explicatur tota parabola et sententia, que tota simul recensenda et panctis explicanda est.

Nofa Christum persistere in materia expulsionis demonum: enervamenti enim quos ipse sanabat, possidebantur a demone corporaliter; sed Scribæ et Judei calumniantes miracula Christi, spiritualiter in anima. Porro hic, uti et alias, sepe non proprie, sed parabolice more Syrorum loquitur. Sensus ergo est, *g. d.* Sicut homo exul et profugus per arida et inculca loca vagatur; ita diabolus per legem Dei pulsus ab homine, puta a vobis, o Judei, qui fuistis populus Dei (in quo scilicet habitabat et colebatur, seque per oracula et miracula ostendebat), vagatur per loca deserta, et quietem querit; sed cum eam non habeat, nisi in homine, videatque jam vos Dei gratiam per me oblata contemnere, itaque sibi in vobis, quasi in domo vacua et scopis mundata, locum parari et ornari, avidus ad vos recurrit, septem, id est multis aliis sociis se nequioribus assumptis, tum ut simul hæc domo, id est animabus vestris jucunde perfruantur, tum ne facile rursus expellantur, tum denique ut vos nequiores efficiant; uti revera efficiunt, dum vos blasphemare faciunt me, meam doctrinam et miracula, ut dicatis me in Beelzebub ejicere demonia, utque assidue me ad mortem persequamini, et tandem crucifigatis, quod scelus omnium est summum et maximum. Quocirca Deus vos puniet extremo excidio per Titum, facietque ut sitis absque Deo, absque Messia, absque lege, absque tempore, absque sacrificio, absque regno, absque fide, imo ut perfidiam et cæcitatem vestram obstinate putetis veram esse fidem et lucem. Ita S. Hilarius, S. Hieronymus, Beda et alii, et patet ex applicatione parabole, cum ait: « Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit et generationi huic pessimæ. »

Porro vacua est domus, id est anima, quia caret Deo Deique gratia; ac proinde capax est et apta ut fiat domus diaboli. Scopis mundata est, quia eversa est ex ea omnis virtus, pietas, boni-

tas, ac sparsa aconita impuritatis et aulæ superbiæ. Hæc enim est mundities, id est immundities, que munda est, placetque diabolo, cui nil nisi fetidum olet, nil nisi immundum et putidum sapit.

Rursum demones a Deo et Sanctis pelluntur in loca deserta, ne hominibus noceant, vel pulsati et moesti sponte eo concedunt. Sic Raphael ligavit Asmodem in deserto superioris Ægypti, *Tobie*, viii. Sic Isaias, *xlii*, 21, et *xxxiv*, 14, ait Babylonem vastandam a Persis et redigendam in desertum, ut ibi habitent pilosi, id est Satyri et Onocentauri, id est demones in hircorum et monstrorum forma. Sed ibi quietem non invenit, quia, ut ait Abulensis, « Dæmon non potest quiescere, quia in æternum cruciabitur, sed querit quietem suo male voluntatis; est enim invidus, et desiderat nocere homini; et quando nocere potest, quiescit aliquo modo. » Et Chrysologus, *serm.* 92: « Diabolus, ait, hominum damnnum suum computat lucrum, et quod perierit hominibus, hoc se æstimat acquisisse; » idque facit tum ex invidia, qua homini invidet cælum et felicitatem, ex qua ipse decedit; tum ex odio Dei, quo ardet; quia enim ipsi Deo nocere nequit; hinc nocet homini, qui est Dei creatura et imago, ut vel sic Deo noceat, quoad potest, uti pulchre exemplo paridi, qui, cum hominem ledere nequit, ejus imaginem dilacerat, ostendit S. Basilium, *homil.* 21 in *aliquot Scripturæ locos*.

Mystic. Quibus per Christum gratiam siccatus est humor concupiscentiæ. Audi S. Hieronymum: « Immundus spiritus exivit a Judæis, quando acceperunt legem, et pulsus a Judæis ambulavit per Gentium solitudines, que, cum postea Domino credidissent, ille non invento loco in nationibus dixit: Abibo ad Judæos. » Et S. Gregorius, *xxxiii Moral.*, cap. 11: « Loca, inquit, arida et iniqua sunt corda justorum, que per disciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiscentiæ humore siccantur. » Et Euthymius: « Significat Deus Sanctorum animas nullum affectionis humorem habentes, » etc. Sicut ergo porcus non invenit quietem in arido, sed in luto; sic demon non quiescit in corpore per jejunita et castitatem arido, sed ceno gula et luxuriæ conspurcato.

ET FIUNT NOVISSIMA HOMINIS ILLIUS PEJORA PRIORIBUS. — Arabicus: « Et fiet novissimum illius hominis pejor principio ejus. Hic est finis et scopus parabole, ut scilicet doceatur relapsum in peccatum peiorum esse lapsu: sicut peior est morbo recidiva morbi. » Causam dat Tertullianus, lib. *De Patient.*, cap. v, quia « penitentes, dum in pristina peccata relabunt, eaque quasi canis vomitum relambit, diabolum Domino preponit. Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, et judiciale pronuntiasset eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit. Ita qui per delictorum penitentiam instituerat Domino satis-

facere, diabolo per allam penitentiam penitentiam satisfacit. » Hinc S. Augustinus, *epist.* 137: « Simpliciter, ait, fateor coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo servare cepi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasteriis profecerunt; ita non sum expertus peiores, quam qui in monasteriis ceciderunt; ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum: *Justus justitia fiat, et sordidus sordescat adhuc.* Apoc. *xxii*. Sic Lucifer, qui erat pulcherrimus Angelus, factus est terribissimus demon; sic Judas ex Apostolo factus est apostata et proditor Christi; sic olim Nestorius, Eutyches, Pelagius, Jovinianus, et hoc ævo Lutherus, Calvinus, Menno et ceteri eorum symonistæ, ex monarchæ et sacerdotibus facti sunt apostata et hæresiarum; vulgo dicitur: ex optimo vino fit acerrimum acetum; ex pulchro Angelo fit terribissimus diabolus; ex viro sanctissimo fit hominiquissimus, si cadat et in casu perseveret.

SIC ERIT GENERATIONI HUIC PESIMILE. — *g. d.* Sicut diabolus facit alii hominibus, ut pulsus ab illis ad eos redeat nequior cum majore comitatu, furrore et impetu; sic prorsus faciet Scribæ et Phariseis, ut eos adigat in extremam invidiam, odium et rabiem, ut me, id est Messiam et Deum suum occidant, eo quod illorum scelera taxent et culpent: quare puniet eos Deus extremo excidio, tum corporis per Titum, tum animæ in gehenna per ipsosmet demones, quorum furis aguntur in tanta seclera.

46. ADHUC EO LOQUENTE AD TURBAS, ECCE MATER EJUS ET FRATRES STABANT FORIS, QUERENTES LOQUI ET. — Querens, quinquam in Evangelio vocatur fratres Christi? Respondebat primo spurcus hæresiarum Helvidius fuisse eos qui ex eadem matre B. Virginis post Christum erant nati. Negabat enim eam perpetuo mansisse virginem; sed contra eam eam doctores refellit S. Hieronymus, lib. *Contra Helvidium*.

Secundo, Græcè passim cum Eusebio, lib. II *Secondæ Hist.*, cap. i, et e Latinis S. Hilarius et Ambrosius, quos citat Baronius in *Apparatu Annal.*, cap. XLVI, putant fuisse eos qui nati sint ex priori matrimonio Joseph, antequam B. Mariam duceret in conjugem. Verum Joseph non aliam habuisse uxorem, quam B. Virginem, ac cum ea jugiter mansisset virginem, docent S. Hieronymus, *Contra Helvidium*; S. Augustinus, *serm.* 14 *De Nativitate*; Theodoretus, in cap. 1 *ad Galat.*; Beda, Anselmus, Rupertus, D. Thomas et passim alii Latini hic; adeo ut B. Petrus Damianus, *epist.* 11 *ad Nicolaum Romanum pontificem*, cap. IV, dicat hanc esse Ecclesiæ fidem.

Tertio, Hugo de S. Victore, et Glossæ, in cap. 1 *Tertiæ ad Galat.*; Eckius, *homil.* *De S. Anna* (et favet Beda, *Act.* 1), censent hos fuisse progenitos ex S. Anna, matre B. Virginis; S. Annam enim præter Joachimum, ex quo genuit B. Virginem, duos alios habuisse maritos, ex quibus geniti sint hi, qui fratres Domini vocantur. Verum S. Annam unicui-

vers. 46.
Luc. vi.
19. Mar.
10. 31.

Frater
Christi
quis?
resp.
et primo.

Secundo.

tantum habuisse maritum Joachimum, et ex eo unicum prolem B. Virginem, docet S. Hippolytus apud Nicephorum, lib. II, cap. III, idque multis probat noster Christophorus a Castro, lib. *De Deipara*, cap. I; et Baronius in *Apparatu*, cap. XLVI et seq.; et Suarez, lib. *part.*, *Quest.* XXVIII, art. I, disp. 3, sect. 4.

Dico ergo hos proprie non fuisse fratres Christi, nec ex B. Virgine, vel Josepho, aut S. Anna esse progenitos, sed dici fratres, id est consobrinos, patruales et cognatos Christi, phrasi Hebraeis familiari: nimirum erant hi cognati, aut vere fratres S. Joachimi, vel S. Annæ, aut potius erant filii fratrum, vel sororum S. Joachimi, vel S. Annæ, puta filii Cleophae, qui erat frater Josephi, sponsi B. Virginis, teste Hegesippo, qui fuit vicinus Apostolorum ævo, apud Eusebium, lib. III *Histor.*, cap. XI. Joseph enim et Cleophas fuerunt filii Jacob, qui erat frater S. Annæ, de quo plura, cap. XIII, vers. 55, et *Luce* III, sub finem. Audi S. Hieronymum hic: « Nos, ait, sicut in libro quem contra Helvidium scripsimus continetur, fratres Domini, non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariæ liberos intelligimus, matertera Domini, quæ esse dicitur mater Jacobi et Josephi et Judæ. » Idem asserunt Isidorus, lib. *De Vita et Morte SS. Patrum*; Beda, super cap. I *Act.*; et Anselmus, I *Corint.* IX, et *Gal.* I.

STABANT FORIS. — Miserunt ergo nuntium ad Christum in domum, qui eum evocaret.

QUERENTES LOQUI EI, — non ex ambitione et fastu, ut viderentur esse consanguinei tanti doctoris et prophetae, qualis erat Christus, ut voluit S. Chrysostomus et Theophylactus, sed ut eum comprehenderent secumque abducerent in Nazareth. Dicebant enim eum in furorem versum esse, ut ait Marcus, III, 21; « Neque enim fratres ejus credebant in eum, » *Joan.* VII, 3 (licet postea plures ex eis crederint Christo); sive hoc dixerint, quod vere ferere putarent, sive fide et simulate, ut eum e manibus Phariseorum, ne ab eis opprimeretur, eriperent; hæc enim vel simili de causa B. Virginem evocasse Christum, nemo pius dubitet. Si voluerunt eum comprehendere quasi furiosum, celarunt hoc summi consilium B. Virginem, illamque adduxerunt secum specie honoris, ut facilius et secretius Christum evocarent, secumque abducerent. Certum enim est B. Virginem optime scivisse Christum esse sanæ sanctæque mentis; quare non nisi ejus visendi studio comitatum fuisse hosce Christi fratres, id est cognatos, Christum Dominum imitata est S. Paula, quæ, ut scribit S. Hieronymus in ejus *Epitaphio*: « Cum pro nimio fervore virtutum quibusdam videretur insana, et cerebrum illius dicerent confovendum, respondit: Theatrum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus. Et nos stulti propter Christum; sed stultum Dei sapientius est hominibus. Unde et Salvator loquitur ad Patrem: Tu seis insipientiam meam. Et iterum: Tanquam

prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis: ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. Quem in Evangelio et propinquo quasi membra impotem ligare cupiebant, et adversarii sugillabant, dicentes: Dæmonium habet, et Samaritanus est. Et: In Beelzebub principe dæmoniorum ejiit dæmonia. »

47. DIXIT AUTEM EI QUIDAM: ECCE MATER TUA ET FRATRES TUI FORIS STANT QUERENTES TE. — Hoc est, *querentes tibi loqui*, ut habet Græcus et Syrus: « quidam, » hic fuit nuntius a fratribus ad Christum evocandum missus.

48. AT IPSE DICENTI SIBI AIT: QUÆ EST MATER MEA, ET QUI SUNT FRATRES MEI? — Nota Christum ita loqui, non quasi neget se veram habere matrem, quasi Christus non fuerit verus homo, sed phantasticus, sive phantasma ex phantasmate natus, uti docuit Marcion et Manichei; nec etiam quasi eum suæ matris et fratrum pauperum puderet; sed vel quia nuntius hic nimis audacter et importune eam a prædicatione jam inchoata avocando, interpellabat, uti vult S. Chrysostomus et Epiphanius, vel potius, « ut paternis, ait S. Ambrosius, se ministeriis (sic legendum videtur, non mysteriis) amplius, quam maternis affectibus debere ostenderet, » et spirituale cognationem carnali præferret, in qua non est sexus, non ordo, sed omnes proxime et omnimode contingunt Christum quasi pater, soror et frater. Hoc enim est, quod de Christo subjicit Matthæus.

49. ET EXTENDENS MANUM IN DISCIPULOS (MARCUS) indicans notansque discipulos. Unde Arabicus: *Et annuit manu sua versus discipulos* SUOS DIXIT: ECCE MATER MEA ET FRATRES MEI.

50. QUICUNQUE ENIM FECERIT VOLUNTATEM PATRIS MEI, QUI IN CÆLIS EST, IPSE MEUS FRATER, ET SOROR ET MATER EST, — spiritualis, uti jam dixi, non carnalis. Dicit « frater et soror » propter utrumque sexum: fideles enim viri sunt fratres Christi, feminae vero fideles sunt sorores Christi, ut docet S. Gregorius. Fidelis ergo Deo obediens, est Christi frater adoptivus, quia per gratiam est filius ejusdem Dei Patris. Idem est mater Christi, quia Christum in se et aliis docendo, hortando, consulendo parit. Ita S. Gregorius, Beda, Euthymius. Audi S. Gregorium, homil. 3 in *Evang.*: « Sed sciendum nobis est, quia qui Christi frater et soror est credendo, mater efficitur prædicando. Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit. Et mater ejus efficitur, si per ejus vocem amor Domini in proximi mente generatur. » Subjicit exemplum S. Felicitatis, quæ septem filios, quos carne pepererat mundo, Spiritu parturit Deo, dum eos in persecutione roboravit et ad martyrium animavit. Et S. Augustinus, *De S. Virginitate*, cap. III: « Mater ejus (Christi) est omnis anima pia, inquit, faciens voluntatem Patris ejus, fecundissima charitate in iis quos parturit, donec in eis ipse formetur. Maria ergo

faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo mater est, spiritualiter autem et soror et mater. Ac per hoc illa una femina non solum spiritu, verum etiam corpore et mater est et virgo. » Causam subdit: « Sed plane mater membrum ejus, quod nos sumus, quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt: corpore vero mater ipsius capitis. » Hoc Christi oraculum se-

cuta S. Victoria virgo et martyr sub Diocletiano S. Victoris Imperatore, cum proconsul eam interrogaret: « Vis ire cum Fortunatiano fratre tuo? » (qui Gentilis erat), respondit: « Nolo, quia christiana sum, et illi sunt fratres mei, qui Dei præcepta custodiunt. » Quocirca carceri cum aliis martyribus inclusa, ibique fame enecta martyrii lauream obtinuit. Ita habent Acta ejus apud Surium, die 11 *februarii*.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Christus Evangelium ejusque vim, fructum et impedimenta explicat per varias parabolas: Primo, *semitis et seminantis*, vers. 3. Secundo, *zitaniorum*, vers. 24. Tertio, *grani sinapis*, vers. 31. Quarto, *fermenti*, vers. 33. Quinto, *thesauri absconditi*, *margaritæ pretiosæ* et *sagæ missæ in mare*, vers. 43.

1. In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare. 2. Et congregatae sunt ad eum turbae multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet; et omnis turba stabat in littore. 3. Et locutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit qui seminat, seminare. 4. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres cæli, et comederunt ea. 5. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram nullam; et continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. 6. Sole autem orto assuaverunt; et quia non habebant radicem, aruerunt. 7. Alia autem ceciderunt in spinas; et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea. 8. Alia autem ceciderunt in terram bonam; et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimalum. 9. Qui habet aures audiendi, audiat. 10. Et accedentes discipuli, dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? 11. Qui respondens, ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum. 12. Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit; qui autem non habet, et quod habet, auferetur ab eo. 13. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt. 14. Et adimpletur in eis propheta Isaiae dicentis: Auditus audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non videbitis. 15. Increassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audiverunt, et oculos suos clausurunt, ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos. 16. Vestri autem beati oculi, quia vident; et aures vestrae, quia audiunt. 17. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetae et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt. 18. Vos ergo audite parabolam seminantis. 19. Omnis qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus: hic est qui secus viam seminatus est. 20. Qui autem super petrosam seminatus est, hic est qui verbum audit, et continuo cum gaudio accipit illud: 21. non habet autem in se radicem, sed est temporalis; facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur. 22. Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocant verbum, et sine fructu efficitur. 23. Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimalum. 24. Aliam parabolam proposuit illis, dicens: